Diss. Rostock
1881.
G. Stoppel

QUAESTIONES

DE

GREGORII NAZIANZENI

POETARUM SCENICORUM IMITATIONE
ET ARTE METRICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAULUS STOPPEL,

AMALIENHOFENSIS.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXXI.

RICCARDO FOERSTER

SACRUM.

Pars prior.

De Gregorio Nazianzeno
poëtarum scenicorum imitatore.

Inter illos inferioris antiquitatis scriptores, ad quos cognoscendos non justum studium neque diligentia, quae illis debetur, adhuc adhibita sunt, Gregorius Nazianzenus mihi videtur esse. Sed tamen dignus est Theologus, qui ab antiquitatis studiosis tractetur, etiamsi aliae causae non accedant, ob hanc solam, quod „poëmata ejus aliquid retinent antiquae proprietatis Graecae.“ Quae res non prorsus fugit viros doctos. Inter quos Naekius: [1]) „Semper, inquit, probabile videbitur, antequam ad poëtandum se accingeret, cujus quidem studii explicatio atque excusatio satis jejuna in carm. iamb. p. 248 seq. habetur, poëtarum maxime lectione sese exercuisse Theologum, et maxime eorum, qui medio inter veram antiquitatem et hanc inferiorem aetatem tempore suo quodam studio ducti profuturum posteritati thesaurum ac penum conquisitarum undique elegantiarum condidissent. Atque horum facile princeps Callimachus fuit.“ Similiter M. Schmidtius: [2]) „Da Gregor im Homer, Hesiod und Euripides vor Allem zu Hause, aber auch sonst ein Mann von umfassender Belesenheit war“ . . . . et Riccardus Foerster: [3]) „Atque apud hunc (Gregorium) attractionis exempla non ita rara sunt in iis poësis generibus, quae pedestri orationi pro-

[1]) Ind. lect. Bonn. 1836/37 p. 1 = opusc. vol. I, p. 236.

[2]) Philol. 15, p. 713.

[3]) Quaestiones de attractione enunt. relat. p. 101.

pinqua sunt, in epigrammatis, sententiis, narrationibus de vita ipsius et metro et dictione dialogi dramaticorum Atticorum compositis."

Nunc autem quaerendum est, quatenus et quemadmodum „retineant Gregorii poëmata aliquid proprietatis Graecae". Aliud enim est ex scriptis alterius ita libare, ut consilio verba vel versus tuis immisceas, aliud ingenio et indole auctorum quorundam ita imbutum esse, ut inscius totum eorum dicendi genus imiteris tuamque ad ipsorum exemplum orationem conformes. Atque ad cognoscendum, utram imitationis viam Gregorius ingressus sit, primum quaerendi sunt loci, quibus dubitari nequit, quin secutus sit aliorum exemplar. De quibus locis copiose cauteque,[1] quantum scio, adhuc a viris doctis non actum est, cum discedam a Naekio, quem nonnulla vocabula figurasque Gregorii a Callimacho, Homero, Hesiodo paucisque aliis petita protulisse[2] haud nescio. At tamen res digna videtur, quae accuratius quaeratur. Ita enim, cum apparuerit, quos auctores et qualia eorum opera imprimis secutus sit Theologus, et optime perspicietur, quantum valuerit apud inferioris aetatis poëtas vetustiorum auctoritas, et cognoscetur ingenium non solum Gregorii sed etiam aetatis ejus, nam in praestantissimis viris quodammodo totam aetatem, qua floruerunt, cerni quis negaverit!

Ac partem aliquam totius disputationis suscipiamus: conferamus nos ad perscrutanda poëmata[3] Nazianzeni senariis conscripta, epitaphia, epigrammata, ut exempla conquiramus, quibus et communem poëtarum dramaticorum sermonem imitatus sit et singulorum dicendi consuetudinem expresserit; appendicis loco respiciemus paucos locos, quibus Platonis imitatorem Theologus se praebet. Illorum carminum, quae hexametris composita sunt, propterea rationem mihi non

---

[1]) Cautione magna opus esse vel ex hac re disci potest, quod, ut Riccardus Foerster mecum communicavit, nonnulla Gregorius non ex ipsis classicis, qui dicuntur, scriptoribus, sed e Laertii Diogenis vitis philosophorum libavit.

[2]) In indice lect. Bonn. 1836/37 modo laudato = opusc. vol. I, 236.

[3]) Usus sum editione Gregorii facta a J. P. Mignio, quae continetur tomis XXXVII et XXXVIII Patrologiae Graecae.

habendam esse censui, quod non solum idem metrum atque Homerus, sed etiam dictionem prorsus Homericam exhibent.

Hanc autem dispositionem semper sequar, ut primum dicam de singulis vocibus, tum de locutionibus, postremo de formulis, quae vel enuntiatis continentur vel eorum vices gerunt.

Veniamus nunc ad propositum.

Caput I.

§ 1.

Quomodo Gregorius communem poëtarum tragicorum sermonem secutus sit.

I. Singulae voces.

II, 1, 11, 1582: θησαύρισμα. I, 2, 28, 85: θησαυρίσματα. Soph. Phil. 37, Eur. El. 497: θησαύρισμα. Eur. Ion. 1394: θησαυρίσματα.[1])

II, 1, 11, 1924: τὰς ἐμὰς δυςπραξίας.

Aesch. Prom. 966: τὴν ἐμὴν δυςπραξίαν. Eum. 769: δυςπραξίαις. Soph. Oed. Col. 1399: τῆς τ' ἐμῆς δυςπραξίας. Ai. 759: βαρείαις δυςπραξίαις. Eur. Iph. T. 516: τῆς ἐμῆς δυςπραξίας.

Epit. 2, 4: πῶλος valet idem, quod *juvenis*.

Aesch. Cho. 794, Eur. Phoen. 947, auctor Rhesi. 387 voci πῶλος eandem vim tribuerunt.

I, 1, 6, 68: πληγὴν τοσαύτην ἀντιδοὺς παρ' ἐλπίδας, ubi πληγή *damnum, calamitatem* significat.

Aesch. Eum. 933: πληγαὶ βιότου. Ag. 367: Διὸς πλαγάν. Soph. Ai. 137: πληγὴ Διός. 278: ἐκ θεοῦ πληγή τις. Ant. 1351: μεγάλας πληγὰς ἀποτίσαντες.

I, 2, 28, 2 et II, 2, 8, 103: οἱ τριςάθλιοι. II, 1, 11, 767 τριςαθλίως.

Soph. Oed. Col. 372: τοῖν τριςαθλίοιν. Ar. Pax 242: τρὶς ἄθλιοι.

---

[1]) Locos ex Aeschylo, Sophocle, Euripide, Aristophane petitos laudo secutus Dindorfii editionem V poët. scen. Graec.

II, 1, 33, 15: ὦ πατρὸς παναθλίου.

Aesch. Sept. 969: πανάθλιε. Cho. 428: πανάθλιον κάρα. 697: τὴν παναθλίαν. Soph. Phil. 1026: ἐμὲ δὲ τὸν πανάθλιον. Eur. Andr. 67: τὴν παναθλίαν ἐμέ; Hec. 657: Ἑκάβη ἡ παναθλία. Ar. Thesm. 1107: με τὴν παναθλίαν.

I, 2, 28, 235: ἥδ' ἐφύγγανε.

φυγγάνειν loco usitati verbi φεύγειν habet Aesch. Prom. 513: ὧδε δεσμὰ φυγγάνω. Soph. El. 132 figurate dicit: οὔ τί με φυγγάνει.

II, 1, 11, 356: τούτῳ τὸ λυποῦν ἐξεμάλθασσον φρενός: „*per hunc molestiam animi deliniebam.*"

Verbum simplex μαλθάσσειν eadem notione a tragicis usurpatum est: Aesch. Prom. 379: ἐάν τις ἐν καιρῷ γε μαλθάσσῃ κέαρ. 1007: τέγγει γὰρ οὐδὲν οὐδὲ μαλθάσσει κέαρ λιταῖς. Soph. Ant. 1194: τί γάρ σε μαλθάσσοιμ' ἂν *(quid te blande dictis fallam)!* Eur. Herc. f. 298: ἀλλ' ὡς λόγοισι τόνδε μαλθάξαιμεν ἄν.

II, 1, 12, 44: πῶς οὐχὶ καὶ νῦν εὐστομεῖς. II, 1, 12, 244: καίρια εὐστομοῦντες; quibus locis εὐστομεῖν habet eandem vim atque εὐφημεῖν. Idem cadit in

Aesch. Cho. 997: κἂν τύχω μάλ' εὐστομῶν. Ar. Nub. 833: εὐστόμει.

II, 1, 59, 5: ὠή (βοηθεῖτ'). Quae interjectio invenitur:

Aesch. Eum. 94. Eur. Phoen. 269, 1067, 1069. Hel. 435. Herc. f. 1106. Ion. 906. Cycl. 51, et cum imperativo conjuncta: Hel. 1180 et Iph. T. 1304: ὠή, χαλᾶτε κλῇθρα.

Fortasse huc referenda sunt haec quoque exempla:

II, 1, 11, 1326: στρατὸς ξιφηφόρος.

Aesch. Cho. 584: ξιφηφόρους ἀγῶνας. Eur. Or. 1504: ξιφηφόρον Ὀρέστην. Herc. f. 730: βρόχοισι ξιφηφόροισι. 812: ξιφηφόρων ἀγώνων. Ion. 980: ξιφηφόρους σοὺς ὀπάονας. Bacch. 992: δίκα ξιφηφόρος. Sed etiam apud solutae orationis scriptores hoc nomen exstat.

Idem pertinet ad substantivum, quod sequitur:

II, 1, 12, 161: (λαοῦ) στρατηλάται. II, 1, 11, 1336: στρατηλάτης.

Aesch. Eum. 637: τοῦ στρατηλάτου νεῶν. Soph. Phil. 793:

ὦ διπλοῖ στρατηλάται. Oed. Col. 1429: στρατηλάτου, et saepius apud Euripidem.

II. Singulae locutiones.

II, 1, 11, 979: οἶδα πολλὰ πολλάκις τοιαῦθ' ἁμαρτών.

Eur. Med. 1165: πολλὰ πολλάκις τένοντ' ἐς ὀρθὸν ὄμμασι σκοπουμένη. Ar. Thesm. 287: πολλὰ πολλάκις μέ σοι θύειν ἔχουσαν. Cf. Soph. Oed. Col. 1626: καλεῖ γὰρ αὐτὸν πολλὰ πολλαχῇ θεός, ubi Blaydesius πολλάκις pro πολλαχῇ ut scribatur suasit.

Quibus exemplis similia sunt haec:

I, 2, 10, 501: ὅτ' εἴσω τοῦ γνόφου μόνος μόνῳ θεῷ προςωμίλησε.

II, 1, 11, 937: μεθ' ὧν τὰ θεῖα ἐξησκοῦ ποτε μόνος μόναις τε πανσόφως κοινούμενος. Epigr. 67, 1: εἴ σοι χρυσὸν ἔδωκα μόνῳ μόνος. Cum his locis cfr.:

Soph. Ai. 467: συμπεσὼν μόνος μόνοις. 1283: αὐτὸς Ἕκτορος μόνος μόνου λαχών. Ar. Vesp. 1272: μόνος μόνοις ξυνῆν. Eccl. 448: συμβάλλειν ἔφη μόνας μόναις.

His addiderim duos versus:

II, 1, 3, 21: ἀσμένοισιν ἄσμενοι φανέντες οἶκοι.

II, 1, 11, 469: πένης πένητα λαὸν εὐθύνειν λαχών.

Similem proprietatem ostendunt:

Soph. Ai. 267: ἢ κοινὸς ἐν κοινοῖσι λυπεῖσθαι ξυνών. 620: ἄφιλα παρ' ἀφίλοις. 735: νέας βουλὰς νέοισιν ἐγκαταζεύξας τρόποις. Phil. 135: ἐν ξένᾳ ξένον. Oed. R. 222: ἀστὸς εἰς ἀστοὺς τελῶ.

I, 2, 24, 314: ἄνορκος ὅρκος. I, 2, 32, 60: ἄνδρας δ' ἀνάνδρους. Epigr. 2, 3: κρήνας ἀκρήνους.[1])

More et exemplo tragicorum Gregorius hanc figurae etymologicae speciem adhibet. Cfr. Aesch. Prom. 544: ἄχαρις χάρις. Ag. 1142: νόμον ἄνομον. Eum. 1034: παῖδες ἄπαιδες. Soph. Ai. 665: ἄδωρα δῶρα. Oed. R. 1154: μήτηρ ἀμήτωρ. Phil. 848: ὕπνος ἄϋπνος. Eur. Iph. T. 566: χάριν ἄχαριν.

Epigr. 94, 2 et 3: ὡς βραδύπους σύ, Δίκη; βραδύπους legimus Eur. Hec. 66: βραδύπουν ἤλυσιν. Gregorius Iustitiae hoc epitheton tribuens meminisse videtur locutionum, quales sunt

---

[1]) Cfr. § 3, II.

apud Soph. Oed. R. 418: δεινόπους ἀρά. El. 491: χαλκόπους Ἐρινύς. Ai. 437: Σεμνὰς Ἐρινῦς τανύποδας. Fortasse tamen Gregorii menti certi poëtae locus obversatus est. Invenimus enim in Epigr. 38, 3 et 4 haec verba:

εἰς ὃν βαλεῖ σε καί ποθ' ὕστερον δίκη·
ἐπὶ σκότους μέν, σὺν τόκῳ δ' ἐπέρχεται.

Ita praebent codices; sententiae sine dubio laboranti succurrit rectissime meo quidem judicio Billius illud ἐπὶ σκότους in ὀπισθόπους corrigendo, quod adjectivum δίκῃ Theologus tribuit in oratione XIX (vol. I p. 302 D Billianae editionis); dicit enim: οὐδ' ὑπερήμερος ἀπήντησεν ἡ ἀντίδοσις, οὐδ' ὀπισθόπους ἡ δίκη, et addit: τοῦτο δὴ ποιητικόν. Ex quo poëta fluxerit haec locutio, nescimus. Nauckius verba: ὀπισθόπους δίκη in Tragg. Graec. fragmenta (adesp. frgm. 470) recepit dicens: „Dicendi genus tragoediam sapit".

III. Formulae enuntiatorum vicariae vel enuntiatis comprehensae.

I, 2, 10, 579: εἶεν. Formula, qua pars orationis finitur et ad novam transitio fit, apud Sophoclem, Euripidem, Aristophanem frequentissima est. Cfr. Soph. Oed. Col. 476. 1308. El. 534. Phil. 1308. Eur. Or. 773. Phoen. 1615 aliosque locos. Ar. Nub. 176, 1075. Eq. 1078, 1238. Pax 877, 1284.

I, 1, 10, 37, Epigr. 21, 1: τί φής; est hoc loco, ut saepissime apud tragicos atque Aristophanem, *formula admirantis et indignantis:* Aesch. Cho. 778. Soph. Oed. R. 330, 957. Oed. Col. 1099. Trach. 349. Phil. 1237. Ant. 248. Eur. Hel. 706. Ar. Nub. 235 etc.

Ἰδού „*adverbium demonstrantis vel attendere jubentis*", quod saepissime apud poëtas scenicos occurrit, Gregorius item plus semel praebet:

II, 1, 11, 984: ἰδοὺ προτείνω. II, 1, 77, 11: ἰδοὺ πρόκειται.
II, 1, 89, 7: ἰδοὺ τὰ θερμά.

Cfr. Aesch. Ag. 1269: ἰδοὺ δ' Ἀπόλλων αὐτὸς ἐκδύων ἐμέ. Soph. Oed. Col. 1477: ἰδοὺ μάλ' αὖθις ἀμφίσταται. El. 1409: ἰδοὺ μάλ' αὖ θροεῖ τις. Trach. 218: ἰδοὺ ἰδού μ' ἀναταράσσει·

Phil. 776: ἰδοὺ δέχου, παῖ. Eur. Or. 144: ἰδού, πείθομαι. Hec. 563: ἰδοὺ τόδε. Ar. Nub. 255: ἰδού, κάθημαι. Eq. 87: ἰδού γ' ἄκρατον. 703: ἰδοὺ προεδρίαν. 1205: ἰδού, σὺ δείξεις, etc.

II, 1, 11, 108: σιγᾶν ἄμεινον.
Cfr. Soph. El. 1238: σιγᾶν ἄμεινον, μή τις ἔνδοθεν κλύῃ.
Or. 788: δηλαδὴ σιγᾶν ἄμεινον.

II, 1, 11, 905: τί μακρὰ τείνω; sed cum legamus Soph. Ai. 1040: μὴ τεῖνε μακράν. Aesch. Ag. 916: μακρὰν γὰρ ἐξέτεινας, 1296: μακρὰν ἔτεινας,[1]) non dubito, quin Gregorius item μακράν scripserit. Spondeus alterius pedis in Gregorii senariis offensionem non habet.[2])

II, 1, 11, 1645: ἐπὶ ξυροῦ βέβηκεν.
Soph. Ant. 996: βεβὼς ἐπὶ ξυροῦ τύχης. Eur. Herc. f. 630: ὧδ' ἔβητ' ἐπὶ ξυροῦ.

Quamquam talium exemplorum numerum haud difficulter augeri posse existimo, tamen eum satis magnum esse censeo, quo appareat Theologum saepe ad Atticorum dramaticorum communem dictionem sese applicasse.

Veniamus nunc ad Gregorium, singulorum poëtarum imitatorem.

---

[1]) Cf. etiam Plat. Rep. X p. 605 D: μακρὰν ῥῆσιν ἀποτείνοντας.

[2]) Cfr. II, 1, 11, 154: νέων σφιγγόντες. 518: ἐπεὶ δ' ἤκουσα. 512: εἰληφὼς εἴην. 558: ἵν' ἡμᾶς οὐκ. 664: ᾧ μὴ νικᾶν. 762: ἡ πρόγραμμ' ἐστί. 764: ἡ κουρὰ τοῦτ'. 894: πρὶν ἡμῖν αὐτοῖς. 918: ὅσον γυμνῶσαι. 1177: οἱ τῆς ἀτμήτου, II, 1, 12, 231: τοιοῦτοι ὤν. etc.

Caput II.

Quatenus et quemadmodum Gregorius singulorum poëtarum scenicorum dictionem secutus sit.

§ 2.

De Gregorio Aeschyli imitatore.

I. Singulae voces.

Epit. 126, 2: ὀφρὺν ἄειρα κενόφρονα *(vanum)*.
Prom. 762: κενοφρόνων βουλευμάτων.

I, 2, 10, 488: πολυθρέμμων (Ἰακώβ) *(dives pecoribus)*.
Pers. 33: πολυθρέμμων Νεῖλος.

I, 2, 10, 972: σαυτὸν νεοῦν λαμπρῷ βίῳ.
Suppl. 534: νέωσον εὔφρον᾽ αἶνον.

Epit. 1, 1: ἰχθυβόλον λίνον.
Sept. 131: ἰχθυβόλῳ μηχανᾷ.
(Anth. VII, 295 et IX, 227 ἰχθυβόλος est *piscator.)*

I, 2, 24, 140: ἀπένθητον βίον *(vitam maeroris expertem)*.
Eum. 912: ἀπένθητον γένος (cf. Ag. 895: ἀπενθήτῳ φρενί).

II. Singulae locutiones.

II, 1, 11, 1915: ὡς κεραυνίους βολάς.
Sept. 430: κεραυνίους βολάς.

II, 1, 61, 5: πηγὴ κακῶν.
Pers. 743: νῦν κακῶν ἔοικε πηγή.

III. Formulae enuntiatis comprehensae.

II, 1, 11, 101: τοιαῦτα μὲν δὴ ταῦτα.
Prom. 500: τοιαῦτα μὲν δὴ ταῦτ᾽.
(Similes concludendi partem orationis formae sunt: Eum. 480: τοιαῦτα μὲν τάδ᾽ ἐστίν. Soph. El. 696: καὶ ταῦτα μὲν τοιαῦθ᾽. 761 et Oed. Col. 62: τοιαῦτά σοι ταῦτ᾽ ἐστίν.)

Epigr. 28, 5: νῦν δὲ τί τάρβος ἔχει με;
Suppl. 736: περίφοβον μ' ἔχει τάρβος.

II, 1, 6, 3: πενθῶ δ' ἔγωγε λαὸν οὐχ ὁρώμενον
ἐμοὺς ῥέοντα πρὸς λόγους.
Sept. 80: ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας.

II, 1, 10, 54: ὤν, οὐ δοκῶν, ἄριστος.
Sept. 592: οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει.

Pauca igitur tantum exempla in medium proferre potui, quae mihi legenti Theologi carmina obviam facta sunt, quaeque quin Gregorius Aeschylum cognoverit et dictione secutus sit aliquoties, nihil dubii relinquunt. Quattuor locos ex Septem, unum ex Eumenidibus, binos ex Prometheo, Persis, Supplicibus attulimus.

§ 3.

De Gregorio Sophoclis imitatore.

I. Singulae voces.

I, 2, 25, 211: τὸν πατροφόντην = πατροκτόνον.
Oed. R. 1441: τὸν πατροφόντην.
(Trach. 1125: τῆς πατροφόντου μητρός.)

II, 1, 11, 573: ἡ (sc. συμφωνία) δ' ἦν τοπρόσθεν ὀρθόπους.
Ant. 985: ὀρθόποδος ὑπὲρ πάγου.
Gregorius figurate, Sophocles proprie utitur ὀρθόπους voce.

II, 1, 11, 1404: ὑπεστέναζεν.
Ai. 322: ὑπεστέναζε. 1001: ὑπεστέναζον.
(Semel hoc verbum apud Lucianum, semel, quantum reperi, apud Alciphronem exstat. Aeschyli Prom. v. 430 pro ὑποστενάζει Dindorfius ὀχῶν στενάζει scripsit, Fritzschius autem correxit ἐπιστενάζει.)

II. Singulae locutiones.

Epigr. XV, 15: ἄγαμος γάμος.
Oed. R. 1214: ἄγαμον γάμον.

II, 1, 18, 9: πόλει τοσαύτῃ — ἣν οἶδα πρώτην τῶν ἀφ' ἡλίου βολῶν *(primam earum, quae ab oriente sunt).*

Ai. 877: τὴν ἀφ' ἡλίου βολῶν κέλευθον.
(ἡλίου βολαί saepius inveniuntur; velut apud Greg. II. 1. 12. 371: βολαῖς μὲν ἡλίου. Eur. Or. 1259: τὸν πρὸς ἡλίου βολάς (sc. τρίβον).

II, 1, 68, 11: με τὸν δυςδαίμονα.
Ant. 274: κἀμὲ τὸν δυςδαίμονα.

Epit. 116, 1: ὦ πηγαὶ δακρύων.
Ant. 803: πηγὰς δακρύων.
Trach. 852: παγὰ δακρύων.

III. Formulae enuntiatis comprehensae.

II, 1, 11, 183: φεῦ τάλας.
Ai. 983: φεῦ τάλας.

Epigr. 21, 2: οὐδὲν ἀνάγνου κλέπτουσιν κακίης οὐδενός.[1])
Soph. Ai. 1137: πόλλ' ἂν καλῶς λάθρα σὺ κλέψειας κακά.
(Vim *clam faciendi* saepius habet κλέπτειν. Cfr. Gregor. II, 1, 12, 219: κλέπτεις κακούργως τὴν ὁμοίωσιν σφόδρα. II. 1. 11, 264: ἔκλεψα μικροῦ λάθρα τὴν ἐκδημίαν. Soph. Ai. 1189: εἰ δ' ὑποβαλλόμενοι κλέπτουσι μύθους — El. 37: δόλοισι κλέψαι χερὸς ἐνδίκους σφαγάς.)

II, 1, 11, 509: τέκνον, μή μ' ἀτιμάσῃς.
Oed. Col. 49: ὦ ξεῖνε, μή μ' ἀτιμάσῃς.

II, 1, 11, 1467: φωνὴν δ' ἀφῆκα τοῦ κακοῦ λυτήριον.
II, 1, 11, 1590: εἶπον λόγους κακῶν λυτηρίους.
El. 1489: ὡς ἐμοὶ τόδ' ἂν κακῶν μόνον γένοιτο τῶν πάλαι λυτήριον.
(Cfr. El. 635: ἄνακτι τῷδ' ὅπως λυτηρίους εὐχὰς ἀνάσχω δειμάτων.)

II, 1, 11, 984: ἰδοὺ[2]) προτείνω . . . .
Trach. 1184: ἰδοὺ προτείνω.

I, 1, 6, 52: μηδ' ἐκτὸς ἔρχῃ τῶν καλῶς συγκειμένων: „*ne praeclarum pactum violaveris.*"
Simillimus est Trach. v. 1189: εἰ δ' ἐκτὸς ἔλθοις (sc. τῶν ὅρκων): „*si autem violares jusjurandum.*"

II, 1, 11, 387: βλάσφημον ἐκφέρειν λόγον.
Tr. 742: οἴμοι, τίν' ἐξήνεγκας, ὦ τέκνον, λόγον.

---

[1]) Versus labem contraxit.
[2]) Cfr. § 1, III.

I, 2, 24, 216: τοῦ χάριν;
Phil. 1029: τοῦ χάριν;

Fortasse etiam huc pertinent: Epigr. 63, 3: πῶς ἔτλη τύμβον τις ἐμὸν ἐπὶ χεῖρας ἐνεγκεῖν.
Oed. R. 1327: πῶς ἔτλης τοιαῦτα σὰς ὄψεις μαρᾶναι;

II, 1, 11, 405: τί οὖν πέπονθας; *quidnam passus es?* Cfr. Phil. 740: τί ποτε πέπονθας; notio eadem est.

Septemdecim igitur exempla dedi, quae Gregorium ex Sophoclis fabulis petivisse putem. Ex his quattuor loci sunt Aiacis fabulae, terni Oedipodis Regis et Trachiniarum, bini Antigonae et Philoctetae, singuli Oedipodis Colonei et Electrae, unus et Antigonae et Trachiniarum.

§ 4.

De Gregorio Euripidis imitatore.

I. Singulae voces.

Epigr. 10, 2: ψυχὴν τὴν τριτάλαιναν.
Hipp. 739: τριτάλαιναι κόραι.

I, 2, 10, 717: μελῶν λακίσματα *(membrorum pannuli).*
Troad. 497: πέπλων λακίσματα *(vestium pannuli).*

II, 2, 8, 282: διώνυμον Μαλαχίαν *(binominem).*
Phoen. 683: διώνυμοι θεοί *(binomines).*

II, 1, 41, 7: εὐγενεῖς ἐπισκόπους, μηδὲν προμοχθήσαντας εἰς μοῖραν καλοῦ.
Suppl. 1234: ἄξια δ' ἡμῖν προμεμοχθήκασι σέβεσθαι.

II, 1, 11, 787: πλοκῆς πάντη ξένων *(alienorum a fraude).*
Ion. 826: κἄπλεκεν πλοκάς. Iph. A. 936: ἐμπλέκων πλοκάς.

II, 1, 11, 1366: τὸν οἶκον ἀστραπηφόρον.
Bacch. 3: ἀστραπηφόρῳ πυρί.

II, 1, 11, 1248: ὁδὸς γὰρ ἀμφίκρημνος.
II, 2, 8, 201: (ὁδὸς) ἀμφίκρημνος.
Bacch. 1051: ἦν δ' ἄγκος ἀμφίκρημνον.

II, 1, 11, 821: ἀνθρωποκτόνοις.
Iph. T. 389: αὐτοὺς ὄντας ἀνθρωποκτόνους.

Utroque loco vox activam vim habet: *homicida*; passive usurpata est ab Euripide Cycl. 127: βορᾷ χαίρουσιν ἀνθρωποκτόνῳ: *gaudent carne hominum interfectorum.*

II, 1, 56, 2: (θηρίον) βροτοκτόνον. II, 1, 59, 1: βροτοκτόνε.
Iph. T. 384: θυσίαις βροτοκτόνοις.

II, 1, 11, 153: χερῶν ἀράγμασι *(manuum pulsationibus).*
Cycl. 205: τυμπάνων τ' ἀράγματα *(tympanorum strepitus).*

II. Singulae locutiones.

II, 2, 8, 225: τρυφῆς θῆσσαν τράπεζαν ποιμένων ἠλλάξατο.
Alc. 2: ἔτλην ἐγὼ θῆσσαν τράπεζαν αἰνέσαι: *operarium mensam* (cfr. El. 204: θῆσσαν ἑστίαν).

I, 1, 10, 31: εἴπερ δίκαιος τοῦ λόγου μένεις βραβεύς.
Med. 274: ὡς ἐγὼ βραβεὺς λόγου τοῦδ' εἰμί.

II, 1, 11, 1323: σὺ καὶ τότ' ἦσθα τῶν ἐμῶν πόνων βραβεύς.
Hel. 703: οὐχ ἧδε μόχθων τῶν ἐν Ἰλίῳ βραβεύς;

I, 2, 10, 589: λεπτὸν νόον. I, 2, 32, 35: νοῦν λεπτόν.
Med. 529: νοῦς λεπτός *(mens subtilis).*

II, 1, 40, 4: παμφάγου πηγαὶ πυρός.
Med. 1187: νᾶμα παμφάγου πυρός.

I, 2, 10, 946: βλάβη φρενῶν.
Hipp. 511: ἐπὶ βλάβῃ φρενῶν.

II, 1, 47, 10: ὥσπερ τρίπωλον ἅρμα τῶν ἐζευγμένων ἵππων.
Andr. 277: τρίπωλον ἅρμα δαιμόνων ἄγων τὸ καλλιζυγές.

II, 2, 8, 22: λάβροις θαλάσσης κύμασιν εἰκασμένη.
Or. 344: ὡς πόντου λάβροις ὀλεθρίοισιν ἐν κύμασιν.

II, 1, 11, 1673: κακῶν ἐρημία (cfr. 1940: ἐκ κακῶν ἐρημίαν).
Herc. f. 1157: ποῖ κακῶν ἐρημίαν εὕρω;

I, 2, 10, 446: γαστρός τις ὄγκος ὑδέρου πεπλησμένος.
I, 2, 32, 35: νοῦν λεπτὸν ὄγκος ἐκδιώκει γαστέρος.
Eur. Ion. 15: γαστρὸς διήνεγκ' ὄγκον· *de gravida Creusa dictum.*

II, 2, 8, 32: κῦμα ποντίου σάλου.
Iph. T. 1443: ποντίῳ σάλῳ. Or. 994: ποντίων σάλων.

(Fortasse huc quadrat etiam: I, 2, 40, 1: οἱ τοὺς ἀραχνῶν ἐκμιμούμενοι μίτους, collatum cum frgm. Eur. Erechthei 370, 1: μίτον ἀμφιπλέκειν ἀράχνᾳ).

III. Formulae enuntiatis comprehensae.

I, 2, 32, 32: θολοῖ δὲ τὸν νοῦν συλλαβοῦσα κραιπάλη.
Alc. 1067: θολοῖ δὲ καρδίαν (*perturbat animum*).

II, 1, 33, 14: τέκνων τὰ μὲν λέλοιπα, τῶν δ' ἀπεζύγην.
Med. 1017: οὔτοι μόνη σὺ σῶν ἀπεζύγης τέκνων.
Herc. f. 1375: κ' ἀποζεύγνυμαι τέκνων γυναικός τ'.
(Cfr. Phoen. 988: μητρὸς στερηθεὶς ὀρφανός τ' ἀποζυγείς.)
(El. 284: νέα γὰρ ἀπεζεύχθης νέου.)

II, 1, 11, 321: τοῦτ' ἦν μέρος μοι φιλοσόφου παιδεύσεως τὸ μὴ δοκεῖν τὸν πρῶτον ἐκπονεῖν βίον.
Hipp. 467: οὐδ' ἐκπονεῖν τοι χρῆν βίον λίαν βροτούς.

II, 1, 11, 512: οὔπω τοσοῦτον ἐκμεμέτρηκας βίον.
Iph. A. 816: ποῖον χρόνον ἔτ' ἐκμετρῆσαι χρὴ πρὸς Ἴλιον στόλου;

II, 1, 12, 54: ἄλλος μὲν ἐξήντλησε μοχθηρὸν βίον.
Cresph. frgm. 456, 3: ἀλλὰ μυρίαι τὸν αὐτὸν ἐξήντλησαν ὡς ἐγὼ βίον (cfr. Med. 79: πρὶν τόδ' [κακόν] ἐξηντληκέναι).

I, 2, 10, 310: πόνους διαντλῶν κέρδεσιν θαλαττίους.
Andr. 1217: διαντλήσω πόνους ἐς Ἅιδαν.

II, 1, 40, 10: ὁ πάντ' ἀνατλὰς ἐν βίῳ παλαίσματα.
Phoen. 60: ὁ πάντ' ἀνατλὰς Οἰδίπους παθήματα.
Quem versum ejecerunt Valckenarius et Dindorfius: Kirchhoffius servavit recte, ut etiam Gregorii locus confirmare videtur!

II, 1, 11, 1389: λαὸς δ' ἐπεῤῥόθησεν οἷς ἐφθεγξάμην.
Hec. 553: λαοὶ δ' ἐπερρόθησαν, Ἀγαμέμνων τ' ἄναξ.

I, 2, 28, 60: οὐδ' εἰ τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον
ἄπληστος ἦσθα.
Or. 9: κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον.

II, 1, 47, 1: ὦ τάλαινα καρδία.
Or. 466: ὦ τάλαινα καρδία ψυχή τ' ἐμή.

II, 1, 11, 1777: ἐντεῦθεν ἐξέκλεπτον ἐκ μέσου πόδα.
Or. 1499: δραπέτην γὰρ ἐξέκλεπτον ἐκ δόμων πόδα.

II, 1, 11, 1679: πρὸς ταῦτα βουλεύεσθε. εἴρηται λόγος.

Quam formulam ad concludendam orationem usurpatam offert nobis Euripides:

Or. 1203: τὴν δ' ἡμῖν ἔχω
σωτηρίας ἔπαλξιν. εἴρηται λόγος.
Phoen. 1012: ἐλευθερώσω γαῖαν. εἴρηται λόγος.

Epigr. 20, 1: βίον ἕλκετε: *(vitam ducite).*
Or. 207: βίοτον εἰς τὸν αἰὲν ἕλκω χρόνον.
Phoen. 1535: ἕλκεις μακρόπουν ζόαν.

II, 1, 68, 16: τέμνων ὁδοὺς ἀτρίπτους.
II, 1, 11, 102: οὐδ' οἶδ' ὁποίαν τοῦ λόγου τέμω τρίβον.
Phoen. 1: ὦ τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδόν.

II, 1, 12, 195: καὶ τοὺς σοφοὺς λαβόντες εἴσω δικτύων.
Phoen. 264: μή με δικτύων ἔσω λαβόντες οὐκ ἐκφρῶσ'.

I, 2, 10, 42: κἂν τὴν Ὁμήρου μοῦσαν ἐν στέρνοις ἔχῃς.
Phoen. 134: Τυδεύς, Ἄρην δ' Αἰτωλὸν ἐν στέρνοις ἔχει.

Epigr. 10, 2: τέτηκα ψυχὴν τὴν τριτάλαιναν.
Heracl. 645: ψυχὴν ἐτήκου.
El. 207: ψυχὰν τακομένα.

II, 1, 11, 155: σώζουσιν ἡμᾶς ποντίους ἤδη νεκρούς.
Cycl. 300: νόμος δὲ θνητοῖς, εἰ λόγους ἐπιστρέφει, ἱκέτας δέχεσθαι ποντίους ἐφθαρμένους.

I, 2, 10, 296: ἀνὴρ γένει τε καὶ κράτει πνέων μέγα.
Bacch. 640: κἂν πνέων ἔλθῃ μέγα.
(Cfr. Andr. 189: οἱ γὰρ πνέοντες μεγάλα.)

Fortasse etiam in his Gregorius Euripidem secutus est:
II, 1, 12, 410: ὡς ἐκ φρενῶν πεσόντι καὶ μεμηνότι.
Hipp. 390: ὥστε τοὔμπαλιν πεσεῖν φρενῶν.

I, 2, 10, 34: χρυσῷ ῥέοντι — σοι.
Troad. 995: πόλιν χρυσῷ ῥέουσαν.
(Cfr. Callim. hymn. in Del. 261: χρυσῷ δὲ — ἔρρεε λίμνη.)

Atque his locis enumeratis quis est, cui non persuasum sit multa vocabula ac locutiones Gregorium ex Euripidis fabulis hausisse; nam exempla omnia fere ejusmodi sunt, ut Theologum imitationis prorsus convincant. Inveni autem qradraginta tres locos non dubios: quorum sunt quinque ex Phoenissis, quaterni ex Oreste [1]) et Hippolyto,. terni ex Medea, Iphigenia Taurica, Bacchabus, bini ex Alcestide, Andromacha, Troadibus, Cyclope, singuli ex Hercule furenti, Helena, Ione, Iphigenia Aulidensi, Hecuba, Supplicibus, Cresphonte, (Erechtheo). Quinquies dijudicari non potest, quam fabulam respexerit Gregorius, cum locutio, quam suam fecit, in duabus fabulis obviam fiat: bis et in Oreste et Phoenissis, semel in Ione et Iphigenia Aulidensi, semel in Medea et Hercule furenti, semel denique in Electra et Heraclidis.

---

§ 5.

De Gregorio Aristophanis imitatore.

I. Singulae voces.

II, 1, 12, 590: στενοῖς ῥακώμασι.
I, 2, 10, 747: ῥακώματα *(vestium panni).*
Ach. 432: Τηλέφου ῥακώματα.

II, 1, 11, 1568: τοὺς κακοὺς σπουδαρχίδας.
Ach. 595: σπουδαρχίδης: *Herrschsüchtling.*

II, 1, 11, 1680: οἱ δ᾽ ἔκρωζον ἄλλος ἄλλοθεν.
κρώζειν *de hominibus dictum* praebet Aristophanes:
Plut. 369: σὺ μὲν οἶδ᾽ ὃ κρώζεις.
Lys. 506: τοῦτο μέν, ὦ γραῦ, σαυτῇ κρωξας.

II, 1, 11, 1686: ἄτακτα παφλάζουσιν = *garrientibus,* metaphorico igitur sensu usurpatum est:
Eq. 919: ἀνὴρ παφλάζει.
Pac. 315: μὴ παφλάζων καὶ κεκραγώς.

Epigr. 48, 7: γάστρωνες *(ventri dediti).*

[1]) Orestem et Phoenissas fabulas omnino maxime lectitatas esse constat.

Ran. 200: γάστρων.

(Cfr. Av. 1604: γάστρις; Thesm. 816: γάστριδας: Plut. 561: γαστρώδεις.)

II, 1, 11, 1926: κοκκύζετ᾽ ἀλεκτόρειον: *cantate gallorum ritu.* Gregorius comicorum morem secutus videtur esse, qui κοκκύζειν, quod proprie spectat ad solum cuculum, saepius de gallo dicunt, in quem ferme quadrat ᾄδειν: Ran. 1380: πρὶν ἂν ἐγὼ σφῷν κοκκύσω. Eccl. 31: ὡς ὁ κῆρυξ (gallus) ἀρτίως δεύτερον κεκκόκυκεν. Verbum sane hac notione etiam a posterioribus scriptoribus usurpatum esse confiteor.

II. Singulae locutiones.

II, 1, 11, 1257: λυσσῶντος κυνός.
Lys. 298: κύων λυττῶσα.

II, 1, 11, 177: ἐλπίδος χρηστῆς.
Vesp. 306: ἐλπίδα χρηστήν.

III. Formulae enuntiatis comprehensae.

II, 1, 56, 2 et Epigr. 31, 2: ὦ κάκιστον θηρίον: *de hominibus dictum.*

Vesp. 448: ὦ κάκιστον θηρίον.
Cfr. Plut. 439 et Av. 87: ὦ δειλότατον σὺ θηρίον.

II, 1, 11, 139: βοὴ δὲ συμμιγής.
Av. 771: συμμιγῆ βοήν.

I, 2, 32, 5: λόγοις πτερωθείς.
II, 1, 23, 14: ψυχὴν πτερώσας τῷ λόγῳ.
Av. 1437: ΠΕΙΘ. νῦν τοι λέγων πτερῶ σε.
ΣΥΚ. καὶ πῶς ἂν λόγοις ἄνδρα πτερώσειας σύ.
ΠΕΙΘ. πάντες τοῖς λόγοις ἀναπτεροῦνται . . . .
1446: ΣΥΚ. λόγοισί τἄρα καὶ πτεροῦνται;

I, 2, 10, 395: ληρεῖ δέ μοι Θέογνις ὡς λῆρον πλατύν.
Cfr. Plut. 517: λῆρον ληρεῖς.

II, 1, 11, 900: ἐγείρεται φλὸξ λαμπρά.
Av. Ran. 340: ἔγειρε φλογέας λαμπάδας.[1])

[1]) Affert hujus usus Kockius in annot. ad. Ran. v. 340 facta aliud exemplum: Xen. Symp. 2, 24: ὁ οἶνος τὰς φιλοφροσύνας ὥσπερ ἔλαιον φλόγα ἐγείρει.

II, 1, 11, 874: (πόθεν δ' ὁ χρυσὸς τῷ κυνί;) ζητητέον.
Nub. 761: (ὅπως; ὅπως; οὐκ οἶδ'.) ἀτὰρ ζητητέον.

II, 1, 11, 12: ἄνδρες, τὸ κλεινὸν ὄμμα τῆς οἰκουμένης.
Ach. 1184: „ὦ κλεινὸν ὄμμα, νῦν πανύστατόν σ' ἰδών,
λείπω φάος γε τοὐμόν, οὐκέτ' εἴμ' ἐγώ".

Dicit nuntius hunc cantum Lamachum cadentem cecinisse. Verba ab Aristophane petita esse ex tragoedia contendere possumus, sed ex qua petita sint nescimus. (Nauckius hos duos versus recepit in fragm. trag. Graec.; sunt adesp. fragm. 28.) Utrum Gregorius verba ex Acharnensibus deprompserit an tragoediam illam nobis perditam cognoverit, dijudicari non potest, quamquam illud mihi quidem multo magis probatur.

Non omnibus locis ex Aristophanis fabulis modo laudatis eandem vim ad Gregorium imitationis convincendum tribuendam esse facile concedo: ex Acharnensibus, Pluto, (Lysistrata), Ranis, Vespis, Avibus, (Pace), Nubibus exempla attuli.

§ 6.

Collectis et explicatis imitationis exemplis, quae mihi legenti Theologi carmina occurrerunt, jam liceat ex singulis ea colligere, quae colligi posse existimo. Quamquam et concedo locis illis, quibus Gregorius imitator cernitur, addendum esse fortasse aliquod exemplum, neque dubito, quin alius aliud exemplum, quod attuli — imprimis ex Aeschylo, Sophocle, Aristophane — ex fonte quodam omnino repetivisse Theologum negaturus sit, hoc tamen sine ulla dubitatione de Gregorio veterum imitatore statuendum esse censeo: maxime Euripidis fabularum lectione sese exercuit Theologus; perspicimus autem hanc exercitationem persaepe in carminibus ejus, cum imitationis exempla multa exstent. Neque desunt satis gravia ex Aeschylo, Sophocle, Aristophane deprompta, quibus Gregorium hos quoque legendi studio complexum

eorumque dictionem haud raro secutum esse probetur. Utramque imitationis viam, de qua supra diximus, Theologum ingressum esse cognovimus. Quae cum ita sint, assentiri non possum Naekio dicenti imprimis eorum poëtarum studio ac cognitione imbutum esse Theologum, qui medio inter veram antiquitatem et inferiorem aetatem tempore floruissent, praecipue Callimachi. Certe quidem exemplis, quae Naekius ex Callimacho profert, id effici posse nego; quin etiam ipse vir doctus concedit:[1] „nam ipse minime contendo Callimachea illa, h. e. obvia in reliquiis Callimachi vocabula, ab ipso Callimacho omnia habere Gregorium. Insunt, ut monui, Homerica; nonnulla etiam Hesiodea: quae qui non male exercitato Homeri et vero Hesiodi lectione Gregorio memoriam ex Homero Hesiodoque praebuisse, non e Callimacho, contenderit, non poterit refelli". Sed tamen, utut est, sine dubio res digna videtur, in quam denuo diligentius inquiratur: accuratius investigandum erit, quae Gregorii vocabula et locutiones ad auctoritatem inferiorum non solum poëtarum, sed etiam solutae orationis scriptorum — imprimis Plutarchum respicio — referenda sint. Sed hoc in aliud tempus differo: nunc tantum hanc dissertationis partem concludenti mihi e Platone quoque Gregorium saepius vocabula et locutiones sumpsisse paucis exemplis probare liceat.

---

§ 7.

De Gregorio Platonis imitatore.

I. Singulae voces.

II, 1, 39, 6: ὡς μεστὰ πάντα τυγχάνειν ληρημάτων.
I, 2, 10, 208: τεχνικῶν ληρήματα *(deliramenta)*.
Gorg. 486 C: ληρήματα χρὴ φάναι εἶναι εἴτε φλυαρίας.

I, 2, 34, 257: μακαριότης δ' ἔμοιγε ἡ εὐζωΐα.
De leg. II, 661 B: ἁπάσης μακαριότητος.

[1]) Vide Naekii opusc. I, p. 245.

II, 1, 11, 1730: ἔχεις τὸ τεχνύδριον.
De rep. V, 475 E: τοὺς τῶν τεχνυδρίων φιλοσόφους.

I, 2, 8, 123: οὐδὲν οἶδε μαγγανευμάτων.
Gorg. 484 A: τὰ ἡμέτερα γράμματα καὶ μαγγανεύματα.
De leg. XI, 933 C: περὶ τὰ μαγγανεύματα.

II. Singulae locutiones.

II, 1, 68, 17: νόμων διαφθορεύς.
Crit. 53 C: νόμων διαφθορεύς.

II, 1, 11, 1287 et 1531: τῇ ζέσει τοῦ πνεύματος.
I, 2, 34, 45: ζέσις φρενός.
Crat. 419 E: ἀπὸ τῆς θύσεως καὶ ζέσεως τῆς ψυχῆς.

II, 1, 11, 305: τὸ λεῖον ἦθος.
Crat. 406 A: τὸ λεῖον τοῦ ἤθους.

III. Enuntiationes.

Epigr. 15, 1: λευκοῦ καὶ μέλανος μικτὴ φύσις ἐστὶ τὸ φαιόν. Simillimus est Platonis locus:

Tim. 68 D: φαιὸν δὲ λευκοῦ τε καὶ μέλανος κράσει γίγνεται.

II, 1, 11, 1256: Τί δεῖ σε νάρκης ἀψάμενον νεκροῦν φρένα; Recordatus est fortasse Gregorius:

Menonis 80 A: — — — τῇ πλατείᾳ νάρκῃ τῇ θαλαττίᾳ. καὶ γὰρ αὕτη τὸν ἀεὶ πλησιάζοντα καὶ ἁπτόμενον ναρκᾶν ποιεῖ.

II, 1, 11, 1473: ἡ πόλις δὲ εὐθὺς ἐκμαλάσσεται ὥσπερ σίδηρος ἐμπύροις κινήμασι.

De rep. III, 411, B: οὗτος τὸ μὲν πρῶτον ὥσπερ σίδηρον ἐμάλαξε (τὸν βίον).

Atque haec quidem hactenus. Sequitur dissertationis

Altera pars.

De pedibus solutis,

qui in Gregorii Nazianzeni senariis exstant.

Quoniam de Gregorii dicendi genere satis multa verba feci, jam de artis metricae legibus, quibus usus est Theologus, accuratius disserere operae pretium mihi videtur esse. Quam quaestionem duplici de causa faciendam mihi esse existimavi: haec enim disputatio instituta primum nos docebit, quorum poëtarum imprimis metricam rationem Gregorius secutus sit, tum ansam optimam et pernecessariam ad emendandos versus corruptos nobis dabit. Nam etiamsi futurum sit, ut denuo diligentius codicibus collatis, qui Theologi carmina continent, singuli solutionum numeri, quos assecutus sum, paulum mutentur, tamen spero mansuras esse ipsas leges metricas a nobis erutas et constitutas. Plurimum autem in sanandis carminum versibus depravatis leges metricae valent.

Quae cum ita sint, mihi proposui, ut ad partem aliquam metricae quaestionis instituendae accederem atque accuratius dissererem de pedibus solutis, qui inveniuntur in carminibus a Gregorio senariis conscriptis.

Sed antequam ad rem ipsam veniam, unum praemonuerim: Gregorii prosodiae leges minus certae et constantes sunt quam poëtarum classicorum, quantumvis a Byzantinorum licentia abhorreant. Vocalis, quam sequitur muta cum liquida, modo brevis est, modo longa, quo fit, ut nonnullorum Theologi senariorum duplex mensura sit; nonnunquam vocalis

natura brevis ictus vi producitur, nonnunquam vocalis, non correpta a veteribus poëtis, corripitur a Gregorio. Atque ego quidem semper id studui, ut, ubicunque fieri posset, in Gregorii quoque trimetris iambicis adhiberem illam versuum legem et normam, qua usi sunt veteres poëtae. Singula tamen singulis locis annotabuntur. Ad propositum ipsum transeo.

Caput I.

De tribrachis a Gregorio in trimetro iambico admissis.

§ 1.

De tribrachis primi pedis.

1. Tribrachus efficitur uno vocabulo:

α. Integro formatur semel: I, 2, 8, 4: πότερος ἀμείνων. Ejusdem pronominis formae πότερον et πότερα aliaque hujusmodi exempla saepius apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem in prima senarii sede leguntur. [1])

β. Ex prioribus vocabuli syllabis constat: I, 1, 17, 12: ἐγένετο. I, 2, 34, 183: παρανομί'. 184: ἀνομίαν. 257: μακαριότης. II, 2, 8, 281: Σοφονίαν. Cujus solutionis exempla Aeschylus, Sophocles, Euripides hoc senarii loco offerunt;

---

[1]) Ad conferenda solutionum genera a Gregorio adhibita cum solutionum formis ab Aeschylo, Sophocle, Euripide admissis usui mihi fuerunt:

a. C. F. Muelleri liber scriptus „de pedibus solutis in dialogorum senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis

b. Rumpelii dissertationes in Phil. 24, p. 407: „Die Auflösungen im Trimeter des Euripides", et in Phil. 25, p. 54: „Die Auflösungen im Trimeter des Aeschylus und Sophocles."

c. Christ. Metrik p. 322[2] ff.

quae lex nunquam a Sophocle, nunquam ab Euripide nisi semel in adverbio ὀλιγάκις neglecta est, ut in voce quadrisyllaba, posita in initio versus, accentus vocabuli et versus concidat, huic ex tribus Gregorii exemplis duo non oboediunt. Aeschylus talium vocabulorum in prima sede duo tantum admisit: θεόσυτος et βορεάδας.

2. Tribrachum bis duobus vocabulis formatum conspicimus ita, ut thesis efficiatur articulo, solutae arsis morae vocem, quae sequitur, incipiant: II, 1, 41, 43: τὸ δ' ὀλιγόμωρον. II, 2, 8, 259: ἃ βασιλέως. Quod dissolutionis genus repudiavit Aeschylus, admiserunt Sophocles et Euripides.

3. Tribrachus ex tribus vocabulis compositus bis nobis occurrit: thesis et prior solutae arsis mora vocibus monosyllabis, posterior initio proximae vocis exprimitur: I, 2, 10, 308: τί δ' ὁ χαρίεις. II, 1, 11, 236: τὸ γὰρ ὁμόγνωσμον. Quae tria vocabula arctissime cohaerere notandum est. Ne hanc quidem solutionis licentiam Aeschylus sibi sumpsit. Sophocles ea semel (Phil. v. 601: τίς ὁ πόθος), Euripides ter usus est.

Notatu autem digna haec sunt:

a. Non conformavit Gregorius in prima senarii sede tribrachum constantem ex monosyllabo et bisyllabo, qualis nobis apud Sophoclem quinquies (semper τί ποτε), saepiusque apud Euripidem occurrit, nedum

b. Ad illam licentiam progressus sit, quae bis apud Euripidem comparet, ut tribrachum ex bisyllabo et monosyllabo efficeret.

Videmus igitur Gregorium omnino parcissimum esse in adhibendis tribrachis primae senarii sedis: in 7550 trimetris iambicis decem tantum primi pedis tribrachi inveniuntur eorumque sex ex uno vocabulo compositi sunt. Unus tantum (1) respondet Aeschyli usui, semel (1, β) Gregorius legem, quam Sophocles sibi posuit, neglexit, nunquam licentiae modum, quo Euripides utitur, excessit; contra Theologum non tantum sibi indulsisse animadvertimus, quantum semel (a) Sophocles, bis (a, b) Euripides.

§ 2.

De tribrachis alterius pedis.

1. Tribrachus uno vocabulo formatur:

α. Ex integro constat: II, 1, 11, 1284: καὶ τῆς Τριάδος ὑπερφυῶς. II, 1, 12, 459: μόνον κατάθες· οὐ. Quam solutionis formam praebent, quamvis raro, etiam Aeschylus, Sophocles, Euripides.

β. Prioribus vocabuli syllabis efficitur: I, 2, 10, 257: ἄρτον πριάμενος. 282: ἡμῖν δ' ἀνεπίδεικτον. 903: χαίρων ἐπανάγων. 957: διπλοῦν δ' ὑπερέχειν. I, 2, 24, 259: ἢ καὶ βασιλέως.[1]) II, 1, 11, 261: ἐν ᾗ φιλοσοφεῖν. II, 1, 12, 525: ἀλλ' οὐκ ἐπιπολῆς. 635: αὐτῶν γενόμενοι. II, 1, 47, 20: κάτω φερόμενος. II, 2, 8, 297: τὴν τῶν καθολικῶν. 307: μίαν ἑκατέρῳ. Cujus solutionis exempla apud Aeschylum non inveniuntur, exstant apud Sophoclem et Euripidem.

γ. Mediis vocabuli syllabis exprimitur: I, 2, 34, 86: ταπεινοφροσύνη. 109: ἡ δ' εὐτραπελία. II, 1, 11, 1193: ἢ κηδεμονικῶς. 1519: τῆς Ἀντιοχέων. Ne hoc quidem solutionis genus alterius pedis Aeschylus praebet, Sophocles semel adhibuit (idque in frgm. satyrico 151, 2 D. ὡς ναοφύλακες), saepius Euripides.

---

[1]) Totus versus hic est: ἢ καὶ βασιλέως εἰκόνα σώζοιτο τις αὐτὸν καθαιρῶν. Morellus, Billius, Benedictini scripserunt: βασίλειον; Coisl. praebet βασιλέως, quod suo jure Mignium recepisse existimo. Quod vocalis α substantivi εἰκόνα ictus vi a Gregorio producitur, offensione caret; idem cadit in ι et υ, quin etiam in ε et ο. Conferas velim haec exempla: I, 2, 10, 699: ἀκούοντά τε. II, 2, 8, 119: πωλοῦσα μέλη. 201: ἀτραπός. 205: Ἄρειος. 220 et saepius: ἀρετήν. II, 1, 12, 384: προβάλοιτ'. II, 1, 11, 1745 aliisque locis: καλῶς. I, 2, 10, 181: τινες. I, 2, 10, 21: θεϊκῆς. I, 2, 8, 195: ἀϊδίως. II. 2, 8, 40: κεκριμένως. I, 2, 6, 8: παρθενία et in aliis substantivis, quae desinunt in ία. I, 2, 10, 403: βασιλίδι. II, 1, 12, 238: βασιλεῖς. II, 1, 12, 466: ἄλυτον. 590: ἔνδυμα. I, 1, 6, 35: οὐδὲ γάρ. I, 2, 4, 12: παρθένε, καί. I, 2, 6, 65: παρθένε, πείθου. II, 1, 11, 1730: ἀνάδραμε πάλιν. I, 2, 10, 49: Ἀριστοτέλους. II, 1, 12, 827: ὁ μακρός. I, 2, 10, 89: φιλοσοφήσω. I, 2, 8, 97: πόματ'. II, 1, 12, 225: ἐκτρέπομαι. 455: στέργομεν. 537: ἐμφράξομεν. II, 1, 74, 5: ἐκλυόμεθ'. Omitto alia exempla afferre. Cfr. Christ. Metrik p. 374².

2. Tribrachus duobus vocabulis efficitur:

α. Semel altero trimetri loco invenitur tribrachus, cujus thesis ex monosyllabo constat, soluta arsis ex bisyllabo: II, 1, 12, 429: ὥς σου τὸ καλὸν ὕποπτον. Eodem modo saepius Euripides hujus sedis tribrachum composuit, nunquam Aeschylus et Sophocles.

β. Thesis continetur monosyllabo, soluta arsis prioribus sequentis vocis syllabis: I, 2, 10, 56: ψυχῆς δὲ ἐπιδεῖν [1]) ἀξίωμα, καὶ πόθεν. 193: ἄλλοι δὲ προσεκύνησαν. I, 2, 34, 75: αἰδοῦς δὲ περιφρόνησις. II, 1, 11, 107: τὸ μὲν γὰρ ἀχάριστον. 625: ὃ δ' ἦν τὸ παριδόν. 1121: μακρόν τιν' ἀποδημοῦσα. Aeschylus, Sophocles, Euripides et ipsi hac solutionis forma usi sunt. Monosyllaba, excepto uno exemplo, non aliter apud Gregorium atque apud Aeschylum arctissimo nexu cum vocabulo antecedente cohaerere videmus; quae lex a Sophocle et Euripide nonnunquam violata est.

γ. Thesis terminat vocabulum, soluta arsis proximum incipit: I, 2, 28, 12: πλουτοῦσι, βασιλεύουσι. II, 1, 11, 1030: τοιαῦτα φιλοσοφοῦσιν. II, 2, 8, 253: ἡ σεμνὸν ὄνομα. Ita Aeschylus, Sophocles, Euripides saepissime iambum hujus pedis solverunt.

δ. Semel thesis terminat vocabulum, quod excipit bisyllabum: II, 1, 12, 780: τοσοῦτον, ὅσον αὐτός. Quam solutionem Aeschylus non adhibuit, semel Sophocles (El. 1264: τότ' εἶδες, ὅτε), haud raro Euripides.

3. Tribrachus bis ex tribus vocabulis compositus est, ita ut thesis fine vocabuli, soluta arsis articulo et initio proximae vocis formetur: I, 2, 10, 858: ὡς μηδὲ τὸ φιλάνθρωπον. quae verba arctissime inter se cohaerent non minus quam II, 1, 14, 15: σωτῆρα τὸν ἀκρόγωνον. Eadem conditione hanc solutionem semel admisit Aeschylus (frgm. 281, 8: τὸν παῖδα τὸν ἐμόν), semel Sophocles (Oed. Col. 26: ἀλλ' ὅστις ὁ τόπος), plus semel Euripides.

---

[1]) Quo cum hiatu confer: I, 2, 34, 227: δὲ ἁγνισμός. I. 1, 10, 71: τε ἀντάλλαγμα. I, 1, 12, 16: πέντε, ὧν. 23: τε Ἀββακούμ. I, 2, 10, 15: τεῦτο ἔρχομαι. 26: τε ἄλλους. 27: τε ὡς. II, 2, 8, 282: τε ἄγγελον.

Veritus autem est Gregorius haec solutionis genera in altero pede usurpare:

a. Non expressit tribrachum fine vocabuli ac duobos monosyllabis, id quod semel apud Aeschylum, saepius apud Euripidem obviam fit.

b. Non composuit tribrachum ex duobus monosyllabis et initio proximi vocabuli: ita semel Sophocles, saepius Euripides.

c. Non expressit tribrachum in altero pede Gregorius posterioribus vocabuli syllabis, id quod apud Euripidem quater in nominibus propriis nobis occurrit.

d. Non conformavit tribrachum tribus monosyllabis.

e. Non admisit tribrachum constantem ex bisyllabo et initio proximi vocabuli, id quod ter fit apud Euripidem.

f. Denique non adhibuit tribrachum expressum posterioribus duabus vocabuli syllabis et initio proximi. Euripides bis ita (Hel. 700 et El. 324 [1]).

Apparet igitur ex exemplis, quae modo attuli, in altero quoque pede parvum tantum tribrachorum numerum usurpatum esse a Gregorio, etiamsi duabus partibus major sit quam numerus tribrachorum primae sedis: exstant enim in 7550 trimetris iambicis triginta tribrachi alterius pedis, ex quibus septemdecim uno vocabulo formati sunt. Cognoscitur autem Gregorium non modo non neglegentiorem esse in efficiendis tribrachis alterius pedis quam Euripidem, sed ne suam quidem fecisse illius licentiam; semel (2 α) utitur Theologus majore licentia quam Sophocles, quater (1 β, γ; 2 α, δ) quam Aeschylus; contra repudiavit Gregorius sex solutionis formas, quarum una (a) ab Aeschylo, una (b) a Sophocle, omnes ab Euripide admissae sunt.

[1]) Locos tamen corruptos esse nonnulli judicaverunt. Vide Christ. Metrik p. 323^2, 4, C. Fr. Muellerum: De ped. sol. p. 56, 12.

§ 3.

De tribrachis tertii pedis.

1. Tribrachus constat ex uno vocabulo:

α. Semel continetur mediis vocabuli syllabis: II, 1, 11, 841: δύστηνα ναυταρίδια καί, cujus solutionis exemplum nullum legitur apud tragoediae principes.

β. Semel posterioribus vocabuli syllabis exprimitur: II, 1, 11, 1730: ἔχεις τὸ τεγνύδριον, ἀνάδραμε. Sic semel Aeschylus (Eum. 485: μαρτύριά), semel Sophocles (Oed. R. 301: οὐράνιά), nunquam Euripides.

2. Tribrachus efficitur duobus vocabulis:

α. Conformatur thesis monosyllabo, soluta arsis prioribus sequentis vocis syllabis: I, 1, 6, 3: τοῦ παντὸς εἴς τιν᾽ ἀναφέροντες. I, 2, 28, 131: πρὸς ταῦτα, εἴ τι περινοεῖς. I, 2, 34, 105: ἡ λάθριος δέ, διαβολή. II, 1, 11, 1542: ἐπ᾽ οὐδενός ποτ᾽ ἀνιαρῶν.[1]) II, 1, 12, 636: τὸ γὰρ κρατεῖν τὸν ἄφρονα. Ut in altero pede sic in tertio monosyllabum cum vocabulo, quod antecedit, arctissime cohaerere animadvertimus. Quam regulam etiam Aeschylus et Sophocles, isto modo in tertia sede iambum in tribrachum solventes, observant, non semper Euripides.

β. Continetur thesis fine vocabuli, solutae arsis tempora proximum incipiunt: I, 1, 6, 98: ἢ καὶ τὸν ὄγκον ὑδεριῶντος.[2]) I, 2, 10, 198: τίς οὖν τοσοῦτον ἄσοφος. 535: ὅδε πρὸ γαστρὸς ἱερός. 584: πᾶσιν γάρ ἐστι περιφανῆ.[3]) I, 2, 28, 193: τὸ φίλτρον ἀλλὰ διπλασίως. II, 1, 11, 270: πρῶτον δὲ τοῦτο φιλοσοφῆσαι. 740: οὐχ αἷμά μ᾽, οὐδὲ βάτραχος. 1428: αὐτοῖς πωλῶσι βασιλικοῖς. II, 1, 23, 21: ὡς αὐτὸς οἶδα δεόμενος. Quod solutionis genus adamant in tertio quoque pede Aeschylus, Sophocles, Euripides.

γ. Exprimitur thesis fine vocabuli, soluta arsis bisyllabo: II, 1, 11, 1320: ὁ μὲν τόδ᾽ εἶπεν· ἐμέ. Cujusmodi exempla non desunt apud tragicos.

---

[1]) Quamquam ι hujus vocabuli ictu apud Gregorium produci potest, ita ut anapaestum tertii pedis statuere posses.

[2]) Cum substantivum ὕδωρ sicut vocabula ab eodem atque illud fonte ducta in Theologi carminibus υ longum habere possint, anapaestum quarti pedis defendere liceret.

[3]) Vat. habet ἐμφανῆ, qua lectione solutio removetur.

3. Tribrachus componitur ex tribus vocabulis:

α. Formatur duobus monosyllabis et initio proximi vocabuli: I, 2, 10, 430: ὥσπερ πόα τι ἐφ' ὑδάτων.[1]) Quae solutionis forma non exstat apud Aeschylum et Sophoclem, invenitur novies apud Euripidem.

β. Thesis in finem vocabuli incidit, prius arsis solutae tempus monosyllabo, alterum initio sequentis vocis efficitur: I, 2, 10, 71: ψυχὴ ῥέουσα κατ' ὀλίγον. II, 1, 12, 458: μὴ πλεῖον, αὐτὸ τὸ κεφάλαιον. II, 1, 14, 63: ἔῤῥιπτο θηρσὶν ὁ Δανιήλ.[2]) Quae vocabula arcte conjuncta esse apud Gregorium, ut etiam apud Aeschylum et Sophoclem, nemo non statim perspiciet; Euripides non semper hanc regulam servavit.

Sequuntur solutionum formae a Gregorio rejectae:

a. Nunquam Theologus tertio in pede tribrachum integro vocabulo expressit, secutus Aeschylum et Euripidem.[3]) Sophocles semel (in El. fabula, v. 1361: πατέρα) iambi loco vocem trisyllabam admisit.

b. Nunquam ex prioribus vocabuli syllabis hac in sede tribrachus constat. Idem nunquam fit apud Aeschylum et Euripidem, semel apud Sophoclem. (Oed. Col. v. 1316: τρίτος δ' Ἐτέοκλος.)

c. Veritus est Gregorius tertio senarii loco tribrachi thesin ex monosyllabo, arsin ex bisyllabo efficere, id quod nobis occurrit semel (Ant. 916: με διά) apud Sophoclem, saepius apud Euripidem.

d. Non expressit tribrachum fine vocabuli et duobus monosyllabis. Sophocles bis (Phil. 651: αὐτό. τί γάρ. 918: μάθημα; τί με), haud raro Euripides illa solutionis forma usus est.

e. Denique tantam licentiam Gregorius sibi non sumpsit, ut ex tribus monosyllabis tribrachum formaret, id quod

---

[1]) Vide p. 26, annot. 2. Tertii pedis anapaestum haberes.

[2]) II, 2, 8, 286 α nominis Δανιήλ producitur.

[3]) Certum saltem exemplum ex Euripidis fabulis afferri non potest. Cfr. C. Fr. Muellerum: De ped. sol. p. 56.

semel (Oed. R. 749: καὶ μὴν ὀκνῶ μέν, ἃ δ' ἂν ἔρῃ μαθοῦσ' ἐρῶ) invenitur apud Sophoclem, quinquies apud Euripidem.

Numerum igitur tribrachorum tertii pedis medium locum inter primi et alterius pedis tribrachos tenere invenimus: viginti unum tribrachos tertiae sedis Gregorius admisit in 7550 senariis. Notandum autem hoc est: duo tantum tribrachi hoc trimetri loco constant ex uno vocabulo, quindecim duobus, quattuor tribus vocabulis formati sunt: contra primi et alterius pedis longe plerique tribrachi uno vocabulo efficiuntur. Iisdem fere conditionibus Gregorium iambum tertii pedis in tribrachum solvisse atque Aeschylum, Sophoclem, exceptis exemplis, quae 1 α, 3 α attulimus, Euripidem, praeter solutionum formas 1 α, β explicatas, cognoscimus: contra Sophocles et Euripides compluries majore licentia usi sunt quam Theologus.

---

§ 4.

De tribrachis quarti pedis.

1. Tribrachus uno vocabulo efficitur:

α. Integro exprimitur: I, 2, 10, 407: τὸν μῦθον αἰνῶ τὸν Φρύγιον, ὅς. II, 1, 12, 807: τούτῳ τε θύσω νοῦ καθαρὰ κινήματα. Quod solutionis genus semel (Pers. 332: λιγέα) offert Aeschylus, semel (Oed. R. 826: πατέρα) Sophocles, saepius Euripides.

β. Ex prioribus tribus vocabuli syllabis constat: I, 1, 10, 18: ὡς εὐάλωτον καὶ κατάκριτον. I, 2, 10, 394: κρημνοὺς προτιμῶν τῆς ἀπορίας. I, 2, 25, 198: ῥήξαντος αὐτῷ τὴν διπλοΐδα. II, 1, 11, 758: χρυσοῦν ἑλίσσειν τὴν φιλόσοφον. 830: μῖσος πονηρὸν καὶ κακότροπον. 1008: πήξων ἑαυτῷ τῷ στρατοπέδῳ. 1247: οὕτως ἔχειν, ἢ μή, περιδεές. 1800: Αἰγύπτιοί τε καὶ Μακεδόνες. II, 1, 12, 751: ἓν ἔργον ἔστιν τοῦ ἱερέως.[1]) Hanc solutionis formam, a qua Aeschylus et Sophocles abhorrent, reperimus apud Euripidem.

---

[1]) Sic Benedictini legerunt. Mignius codicem Coislinianum secutus praebet: ἓν ἔστω τοῦδ' ἔργον ἱερέως, quod ferri non potest et metri et sententiae causa, cum τοῦδ' hoc loco absurdum sit. Benedictinorum lectionem veram esse existimo, nisi ἔστω pro ἔστιν scribendum est.

γ. Mediis tribus vocabuli syllabis formatur: I, 1, 12, 26: ἔπειθ' ὁ κληθεὶς Ἱερεμίας. I, 2, 25, 42: λοχῶσα, τοῦτο μνησικακίαν. I, 2, 34, 45: μνήμων, λοχῶν τε, μνησικακία. 81: καλοῦσι δ' αὐτὴν ζηλοτυπίαν. Cujusmodi exemplum nullum exstat apud Aeschylum et Sophoclem, unum (Ion. 54: χρυσοφύλακα) apud Euripidem.

δ. Ex posterioribus tribus vocabuli syllabis compositus est: I, 2, 10, 499: μισθὸν δίκαιον εὑρόμενος οὗτον πόνων. 555: ἄλλοι παρῆκαν συγγενέσιν ἀλειάδας. I, 2, 25, 70: ῥᾷον γάρ ἐστιν ἀρχόμενον ἄγξαι λόγῳ. I, 2, 28, 311: τούτων πάθοις σὺ μηδέτερον· ἴσον κακόν. I, 2, 34, 68: σκέψις, λογισμῶν ἀντίθεσις εἰς πρακτέα. II, 1, 11, 1576: πόλλ', ὡς ἀκούω, συμβατικὰ παραινέσας. Idem invenitur apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem.

2. Tribrachus duobus vocabulis efficitur:

α. Thesis constat ex monosyllabo, soluta arsis bisyllabo: I, 1, 6, 104: τῷ νοῦν ἔχοντι; τῷ δὲ κακὸν ἡ χρηστότης. Quod nunquam fit apud Aeschylum, semel (in frgm. satyrico 334: τις ὄνος) apud Sophoclem, raro apud Euripidem.

β. Thesis constat ex monosyllabo, solutae arsis morae incipiunt vocem, quae sequitur: I, 2, 10, 646: τῶν οὖν τελείων (πᾶν γὰρ ἄλογον ἐνδεές). II, 1, 11, 86: τὴν γένναν αὐτήν· οὐ γὰρ ἀχαριστεῖν θέμις. Quod solutionis genus reperimus apud Aeschylum semel (Pers. 320: τε πολύπονον), saepius apud Sophoclem et Euripidem.

γ. Thesis terminat vocem, solutae arsis tempora incipiunt vocem, quae sequitur: II, 1, 11, 1011: οὔπω γὰρ ἦν τὰ ὦτα διατεθεὶς κακῶς. II, 1, 12, 372: κρίνειν νεοττῶν ὄψιν ἀετὸν [1]) πανσόφως. II, 2, 8, 363: τὰς τῆς Παλαιᾶς πρῶτα Διαθήκης ἐρῶ. Ita Aeschylus, Sophocles, Euripides quarti pedis iambum saepissime solverunt.

δ. Thesis et prius solutae arsis tempus efficiuntur bisyllabo, posterius articulo: I, 2, 28, 212: ζόφῳ καλύπτει τὰς φρένας ὁ συνεργάτης.

---

[1]) α hujus substantivi a Gregorio correptum nihil offensionis habet, cum alia exempla inveniantur, quae ostendant vocalem brevem, quam alii poëtae productam habent. Conferas: I, 2, 34, 48: πρᾶότητα. I, 2, 34, 56: δειλία. I, 2, 24, 123: μιμεῖσθαι. I, 2, 28, 32 et I, 2, 34, 104: συκοφαντία. — υ substantivi θύλακος saepius corripitur.

ε. Thesis et prius solutae arsis tempus composita sunt ex bisyllabo, alterum proximam vocem incipit: I, 2. 24, 181: ἐκ πλειόνων δέ, τίς λόγος ἀπιστουμένων. II, 1, 11, 692: οὔπω τελείως τὴν βάσιν ἐρηρεισμένος.

ϛ. Thesis et prius solutae arsis tempus concludunt vocem trisyllabam, alterum proximam vocem incipit: I. 2. 10. 348: ἐκδοῦσα τιμᾷ, χρήμασι πενίαν καλήν. I, 2. 34, 47: τὸ δὲ πρὸς ὕβριν ἤρεμον, ἀοργησίαν. II, 1, 12, 261: πέμπουσί τ' ἰὸν ἔνδοθεν ἀδελφοκτόνον. Quarum solutionum tria genera postremo allata (2 δ, ε, ϛ), quippe quae numeros tardent, Aeschylus, Sophocles, Euripides non adhibuerunt neque ejusmodi exempla in tragicorum minorum fragmentis reperiuntur. [1]) Contra Aristophanes et in aliis pedibus et in quarto (vicies quinquies) illam solutionis formam (⏑ ⏑ | ⏑) admisit. [2])

Repudiavit igitur Gregorius haec solutionum genera inquarto pede:

a. Non effecit, ut Aeschylus, Sophocles, Euripides, tribrachum fine vocabuli ac bisyllabo.

b. Non effecit tribrachum fine vocabuli ac duobus monosyllabis, ut semel Aeschylus (Sept. 547: Ἀρκάς· ὁ δέ), semel Sophocles (Oed. Col. 985: ἔξοιδα, σὲ μέν), saepius Euripides.

c. Non expressit tribrachum tribus monosyllabis, ut semel Sophocles (Ant. 1108: ἄν· ἴτ' ἴτ'), bis sine dubio Euripides.

d. Non conformavit tribrachum ex fine vocabuli, monosyllabo, initio vocis proximae, ut Sophocles et Euripides.

e. Denique iambum quarti pedis Gregorius non ita solvit, ut tribrachus compositus sit ex duobus monosyllabis atque initio sequentis vocis, id quod semel nobis apud Euripidem occurrit (Or. 720: με; τὰ δ' Ἀγαμέμνονος).

Omnium pedum in quarto apud Gregorium plurimi tribrachi nobis obviam fiunt: triginta tres in 7550 senariis. Ut in prima et altera sede, ita in quarta quoque major tribracho-

---

[1]) Vide C. Fr. Muellerum: „De pedibus solutis in tragicorum minorum trimetris iambicis", Kiliae 1879.

[2]) Cfr. Rumpelium, Phil. 28, p. 607: „Der Trimeter des Aristophanes." O. Bachmannum: „Conjecturarum observationumque Aristophanearum specimen I, p. 148. Diss. Goettingae 1878. — Christ.: „Metrik" p. 323 [2].

rum numerus (unus et viginti) ex uno vocabulo constat. Tribus vocabulis in quarto pede Theologus tribrachum non efficit. Quam nunquam in aliis pedibus licentiam Theologus sibi sumpsit, hac utitur sex locis (cfr. 2 δ, ε, ζ) in quarto pede, tribrachum ita formans, ut thesis et prius solutae arsis tempus in finem vocabuli incidant, posterius, quod sequitur vocabulum, incipiat. Hanc formam tragici rejecerunt. Alia tribrachorum exempla quarti pedis non aliis conditionibus Gregorius admisit atque Euripides. Aeschylus et Sophocles paulo diligentiores se praestant in formandis hujus pedis tribrachis.

§ 5.

De tribrachis quinti et sexti pedis.

1. In quinto senarii pede utrum Gregorius tribrachum admiserit necne, certo dijudicari non posse existimo. Nam etiamsi tribrachum agnoscere potes:

II, 2, 8, 266: μεθ' ἣν Ἀριθμούς, εἶτα Δευτερονόμιον,

tamen syllabae τερονομ etiam pro anapaesto haberi possunt, cum saepius ο, praesertim μ sequente, productum inveniamus.[1])

II, 1, 12, 678: ζητῶ τὰ πάντα, κ' εἶναι τὸν μέγαν Ἀαρών.

Quamquam Gregorius prius hujus nominis A plerumque breve habet, idem produci a Theologo docet

I, 1, 25, 188: Μωσῆς ἐκεῖνος, Ἀαρών, οἱ φίλτατοι.

Quam ob causam isto loco anapaestum quinti pedis defendere non dubito.[2])

Neque aliter, cum muta sequente liquida saepissime apud Gregorium vocalem, quae antecedit, producat, anapaestum in quinta sede statuendum esse censeo

II, 1, 12, 224: πείθει με τιμᾶν καὶ τὸ δίκτυον ὁ τρόπος.[3])

---

[1]) Vide p. 23, annot. 1.

[2]) Vide II, § 16, 2 γ.

[3]) Vide II, § 16, 2 δ. Cfr. etiam p. 43, annot. 2.

2. Semel sexti pedis arsin solutam praebet Gregorius, id quod fortasse excusatur nomine proprio Τριάδος:

I, 2, 34, 152: ἡ δ' εὐσέβεια, προσκύνησις τῆς Τριάδος.

Cum sententia recte sese habeat, versum corruptum esse contendere non ausim.

§ 6.

Quoniam singulos tribrachos enarravi ac conditiones, quibus adhibiti sunt, explicavi, jam restat, ut respiciens omnia exempla quaeram accuratius, quibus legibus in admittendis et formandis tribrachis Theologus usus sit, simulque ut has leges cum legibus a poëtis scenicis servatis breviter conferam.

1. Reperiuntur in 7550 senariis Gregorii 96 tribrachi, si Δευτερονόμιον quinti et Τριάδος sexti pedis simul in censum veniunt. Quo de numero si dempserimus novem tribrachos ex nominum propriorum syllabis compositos,[1]) reliqui erunt 87 tribrachi, unde efficitur, ut singuli in octogenis septenis versibus legantur.[2]) Addamus jam, qualem ad hunc numerum rationem tragici poëtae et Aristophanes habeant:

Aeschylus:	123	:	4308	=	35,
Sophocles:	197	:	7568	=	38,
Euripides:	1700	:	17825	=	$10^1/_2$,
Aristophanes:[3])	2625	:	9208	=	$3^1/_2$,
Gregorius:	87	:	7550	=	87.

Ex quo apparet omnium longe parcissimum esse Gregorium in adhibendis tribrachis. Quorum plurimi inveniuntur in

[1]) Quos omittendos mihi esse censui, secutus Muelleri in enumerandis tribrachis ab Aeschylo, Sophocle, Euripide usurpatis normam (vide eum „de ped. sol." p. 74).

[2]) Totius tantum numeri ratio habeatur.

[3]) Hujus census auctorem Rumpelium habeo (Phil. 28, p. 601 et 604). Non multum refert numerum ab eo allatum eos quoque tribrachos complecti, qui nominum propriorum syllabis formati sunt.

quarta sede: 33; cui alter proximus est: 30; sequitur tertius: 21; primus pes 10 tribrachos praebet; singuli in sexto et (fortasse) in quinto pede inveniuntur Quos Gregorii solutionum numeros ut conferam cum poëtis scenicis, utar tabula a Rumpelio (Phil. 28 p. 605) satis scite composita: [1])

Aeschylus:	4	3	1	2	5,	
Sophocles:	1	4	3	2	5,	
Euripides:	2	4	3	1	5,	
Aristophanes:	4	2	3	1	5,	
Gregorius:	4	2	3	1	(5)	(6).

Eadem igitur ratione atque Aristophanem Gregorium tribrachos adhibitos in singulos pedes distribuisse animadvertimus.

2. Frequentissima tribrachi forma apud Gregorium ea est, ut tribrachus ex uno vocabulo seu unius vocabuli syllabis constet: duodequinquaginta tribrachi, id est omnium dimidium, hoc modo comparati sunt. Notandum tamen est in tertio pede bis tantum illud solutionis genus usurpasse Theologum.

3. Quadraginta tribrachos Gregorius ex duobus vocabulis composuit: duos monosyllabo et bisyllabo expressit, quindecim monosyllabo et prioribus sequentis vocis syllabis. Utriusque generis exempla talia sunt, ut monosyllabum arcte cohaereat cum voce, quae antecedit. Septemdecim tribrachos ita efficit Theologus, ut thesis ex fine vocabuli, soluta arsis ex proximi vocabuli prioribus syllabis constet. Parum elegans sine dubio est illa forma quarti pedis, qua sex locis utitur Gregorius, ut thesis et prius arsis tempus in finem vocabuli incidant vel bisyllabum efficiant, posterius vocem, quae sequitur, (semel est monosyllabum), incipiat. Quod tribrachi genus Aeschylus et Sophocles omnino repudiaverunt, Euripides certe in quarto pede, cum hic singulos tribrachos primi et alterius pedis simili modo formaverit. (Cfr. II § 1, b; II § 2, e, f.).

4. Octo tribrachi apud Theologum tribus vocabulis continentur, quae arctissimo nexu inter se cohaerent.

[1]) Sunt quinque pedes ordine descendente ita compositi, ut plurimos quisque habet tribrachos.

Quaecunque exempla tribrachorum attulimus, docent nos — sex locis exceptis — haud parva diligentia in efficiendis tribrachis Gregorium usum esse. Licentiae modum, quem Euripides sibi concessit, raro Theologus excessit, immo vero saepissime diligentiorem se praebet quam Euripides, saepius quam Sophocles. — Atque haec quidem hactenus.

Caput II.

De dactylis a Gregorio in trimetro iambico admissis.

§ 7.

De dactylis primi pedis.

1. Dactylus uno vocabulo continetur:

α. Ex integro constat: I, 2, 8, 137: ἄργυρος. I, 2, 10, 170: ἡνίκα. 397: πράγματι. I, 2, 33, 5: ἤρετο. I, 2, 34, 56: δειλία.[1]) II, 1, 76, 2: ἐνθάδε. Quae iambi solutio nobis raro apud Aeschylum et Sophoclem, saepissime apud Euripidem occurrit.

β. Prioribus tribus vocabuli syllabis formatus est idque bis initio vocis quadrisyllabae: II, 1, 11, 501: ἁπτόμενος. 875: πρεσβύτερον. Cujusmodi exempla Aeschylus tria habet in nominibus propriis, Sophocles tria in nominibus propriis, tria in vocibus appellativis, permulta Euripides. — Quinquies Gregorius initio vocabuli quinque syllabas complexi dactylum efficit: I, 2, 10, 86: ἁρμοσάμενος. II, 1, 11, 379: συνδιαφέρειν. 1017: μισθοφορικόν. II, 1, 12, 307: ἐμφιλοσόφει. II, 2, 8, 285: Ἱερεμίαν. Quod apparet semel apud Aeschylum in nomine proprio (Αἰθιοπίδος), bis apud Euripidem (Αἰθιοπίδος. Αἰθιοπίαν).

---

[1]) Vide p. 29, annot. 1.

2. Dactylus ex duobus vocabulis compositus est:

α. Continetur monosyllabo et bisyllabo: I, 2, 10, 202: τοῖς περί. 345: ὥσθ' (ὅτι). II, 1, 11, 1210: μὴ μίαν. 1781: πλὴν ὅσα. II, 1, 77, 2: ὃς φέρετ'. Quam dactyli conformationem bis apud Aeschylum et Sophoclem (in Phil. fabula), saepissime apud Euripidem invenimus.

β. Constat ex monosyllabo et initio proximi vocabuli: I, 2, 8, 249: ἀλλ' ἄπιτε.[1]) I, 2, 10, 237: τῶν φιλοσοφούντων. I, 2, 34, 26: ὡς θάνατον. II, 1, 11, 657: ὥστ' ἀγνοεῖν. 1034: τοὺς Περιπάτους. 1198: τῆς ἀλογίας. II, 1, 12, 114: ἀλλ' ἀντιτέον. II, 2, 8, 316: τὴν δ' Ἀποκάλυψιν. Ut apud Aeschylum et Sophoclem, qui hanc quoque solutionis formam admiserunt, monosyllabum arctissime cum vocabulo, quod sequitur, cohaerere videmus, ita etiam apud Gregorium; Euripides, qui non parcus est in adhibendis illius modi dactylis, nonnunquam hanc regulam violavit.

γ. Exprimitur bisyllabo et monosyllabo: II, 1, 11, 161: οὔτε τίν'. 376: οὔποτ' ἄν. 985: γλῶσσαν· ὁ. II, 2, 8, 42: ἥτις ἐφ'. Priores loci, quippe quibus vocabula arctissimo nexu conjungenda sint, non multum offensionis habent; magis displicent posteriora exempla, cum monosyllabum ad vocem, quae sequitur, spectet. Hoc solutionis genus omnino repudiaverunt Aeschylus et Sophocles, quater admisit Euripides ac semel (in Cyclopis fabula) in his exemplis neglegentiorem se praebet.

δ. Efficitur bisyllabo ac proximi vocabuli initio: I, 2, 10, 511: οὐδὲ πενίας. II, 1, 11, 741: οὐδὲ κυνόμυια. Ne hoc quidem modo comparatum dactylum adhibuerunt Aeschylus et Sophocles, bis Euripides: Bacch. 285: ὥστε διά. Or. 2: οὐδὲ πάθος.

3. Dactylus formatur tribus vocabulis:

α. Semel constat ex tribus monosyllabis: I, 2, 10, 271: ἢ τί ποτ'. Quae dactyli forma saepius invenitur apud Euripidem, nunquam apud Aeschylum et Sophoclem.

---

[1]) Versus hic est: ἀλλ' ἄπιτε· λώϊον δ' ἢν ἔχητ' εἰρηνικῶς. Scribendum est, ut metrum sanum sit, λῷον, quam formam Gregorius etiam aliis locis habet, ut II, 1, 12, 367.

β. Septem locis dactylus continetur duobus monosyllabis et initio vocabuli, quod sequitur: I, 2, 10, 62: εἶθ' ὁ πρύτανις. 158: οἷς τὸν ἀγαθόν. 793: οὐδ' ὁ Πολέμων. I, 2, 28, 215: πρὸς τὰ παραδείγματ'. I, 2, 34, 235: τὴν δὲ μετάνοιαν. II, 1, 11, 553: ὧν μὲν ἐνόμιζον. II, 1, 12, 21: οὐ γὰρ ὀνομαστί. Haec iambi solutio neque ab Aeschylo neque a Sophocle, verum vero ab Euripide admissa est.

Suppeditat igitur Theologus in 7550 trimetris iambicis quadraginta dactylos primi pedis, quorum tredecim uno vocabulo, undeviginti duobus, octo tribus vocabulis expressi sunt. Quascunque dactylorum conformationes Gregorius in primo pede abhibuit, apud Euripidem leguntur, majore severitate usi sunt Aeschylus et Sophocles.

§ 8.

De dactylis tertii pedis.

1. Dactylus uno vocabulo exprimitur:

α. Uno loco prioribus nominis proprii syllabis efficitur: II, 1, 12, 518: ἐν οἷς τυποῖ Τιμόθεον. Dactylum ita formatum Aeschylus non offert, Sophocles bis in nominibus propriis, saepius Euripides, etiam in appellativis.

β. Semel dactylum posterioribus vocabuli syllabis expressum esse videmus II, 1, 11, 654: πρῶτον μὲν ἐξέζεσε καθ' ἡμῶν ἡ πόλις. Tale solutionis exemplum nullum est apud tragicos, unum [1]) apud Aristophanem: Eccl. 460: οὐδ' ἐς δικαστήριον.

2. Dactylus conformatur duobus vocabulis:

α. Compositus est ex monosyllabo et proximi vocabuli prioribus syllabis: I, 2, 10, 227: κρείσσων· τροφή τε σχέδιος.

[1]) Si recte intellexi Rumpelium qui Phil. 28, p. 608 exponit: „Am meisten vertreten sind (im dritten Fusse) diejenigen (Dactylen, von den in einem Wort befindlichen), welche nur in den folgenden (vierten) Fuss hinübergreifen, mithin vor sich die Cäsur haben; nur einen Vers giebt es, in dem das Umgekehrte stattfindet. Eccl. 460."

II, 1, 11, 321: τοῦτ' ἦν μέρος μοι φιλοσόφου. II, 1, 12, 704: ἡ δ' ὡς ἴδεν μῶν διατρέχοντ'. II, 2, 8, 214: τούτων φύλαξ μοι διαμένοις. 268: ἔπεινα τὴν 'Ρούθ, Βασιλειῶν, ut Aeschylus, Sophocles, Euripides tertii pedis iambum solvere non veriti sunt. Legi ab Aeschylo servatae, neglectae nonnunquam a Sophocle, saepe ab Euripide, Gregorium quoque obtemperasse videmus: monosyllabum arcte cum vocabulo, quod antecedit, cohaeret.

β. Dactylus constat ex fine vocabuli et vocabulo bisyllabo: I, 2, 10, 319: τοῦ δ' ἐκ Κυρήνης, μέγα μὲν ἡ. I, 2, 25, 49: δέδωκεν ἡμῖν κατὰ παθῶν. II, 1, 11, 812: κοινωνός; οὐδὲν μέγα καὶ γάρ. Ita haud raro Aeschylus, Sophocles, Euripides dactylum tertii pedis formaverunt.

γ. Dactylus efficitur fine vocabuli et prioribus proximi vocabuli syllabis: I, 2, 10, 221: καὶ ταῦθ' ἑαυτῷ νομοθετῶν. 395: κακῶς τε Κύρνῳ νομοθετῶν. 510: ᾔδει γάρ, ᾔδει φιλοσοφεῖν. 690: πτίσσειν τὸν αὐτοῦ θύλακον.[1]) I, 2, 25, 297: εἴ πέρ τις ἄλλος βασιλέων. I, 2, 28, 364: οἴκτου βραχείας ῥανίδος. II, 1, 11, 231: ὃ δ' εἰς ἓν ἡμᾶς διαφερόντως. 499: ταῖς σαρξὶν ἤδη, συνελαφρίζειν. 620: ἢ τῶν μὲν ἄλλων δεομένων. 735: ἔπειθε ῥᾷον διαφέρειν. 1007: ὡς τὴν καθέδραν βασιλικῷ. 1219: πτωχοτροφοῦντα, ξενοδοχοῦντα. 1843: ἐντεῦθεν ἄρξασθ' ὁμονοεῖν. II, 2, 8, 310: εἶεν, τί λοιπόν; Καθολικῶν. Quae solutio saepissime apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem nobis occurrit.

δ. Sequuntur quattuor solutionum exempla ita comparata, ut breves dactyli syllabae dirimantur, non ita, ut eodem vocabulo contineantur; forma igitur haec est: — ◡ | ◡.[2]) Ac semel longa et brevium prior syllaba dactyli vocabulum bisyllabum efficiunt, posterior vocem, quae sequitur, incipit:

I, 2, 30, 19: τὸ μικρὸν οὐ μικρόν, ὅταν ἐκφέρῃ μέγα.

Ter posterior solutae arsis mora constat ex monosyllabo, prior et thesis in finem vocabuli, quod antecedit, incidunt:

I, 1, 10, 7: ἵν' οἷς περ εἴληφεν ὃ δέδωκ' ἀναπλάσας.

I, 2, 10, 547: ἐσφίγγετ'· ἔγραψε τὸν 'Ιωάννην Λόγος.

II, 1, 12, 360: νῦν τὰ προσωπεῖα, τὰ πρόσωπα δ' ὕστερον.[3])

---

[1]) Vide p. 29, annot. 1.

[2]) Cfr. II, § 4, 2 δ, ε, ς.

[3]) Haud nescius etiam in primo pede dactylum poni posse tamen

Quos versus, quippe qui aptissimam sententiam praebeant, solius metri causa mutare non ausim. A qua dactyli forma prorsus abhorruerunt et tres illi tragoediae principes et tragici minores, quantum quidem ex fragmentis eorum cerni potest. Contra usus est ea Aristophanes [1]) quinquies in tertio senarii pede. Cum primo exemplo, quod attulimus ex Gregorio conveniunt Plut. v. 171: ἐκκλησία δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον γίγνεται et ejusdem fabulae versus 174 et 176, qui eandem habent solutionem. Accedit ad hos locos Ran. v. 1436: περὶ τῆς πόλεως ἥντιν' ἔχετον σωτηρίαν. Cum reliquis exemplis altero loco enumeratis conferas Eccl. v. 532: ἀλλ' ἔστιν ἐνταῦθά τι κακόν.

3. Dactylus exprimitur tribus vocabulis:

α. Thesis constat ex fine vocabuli, solutae arsis tempora conformantur monosyllabis: II, 1, 12, 218: τὸ μὲν λογίζῃ, τὸ δέ. Eadem ratione saepius Aeschylus, Sophocles, Euripides dactylum composuerunt.

β. Thesis constat ex fine vocabuli, prior arsis mora quater articulo, semel pronomine τι, posterior initio proximi vocabuli continetur:

I, 2, 10, 275: τρυφῆς δ' ἀφορμὴν τὸ ἀπορεῖν ποιούμενοι.[2])
II, 1, 11, 1763: ὁ Λὼτ ἐκεῖνος, χὠ πατριάρχης Ἀβραάμ.
II, 1, 47, 6: οὐ ζωπυρήσεις τὸ λογικόν, τὸ γνήσιον.
II, 1, 11, 1199: καὶ σηπιῶδες, τὸ μέλαν ἐκ βάθους ἐμεῖν.
II, 1, 11, 1457: λέγοντος, οὐδέν τι πλέον ἢ μείζους βοαί.[3])

Tali ratione dactylum exprimens non discrepat Theologus ab Aeschylo, Sophocle, Euripide.

Jam illae dactyli conformationes addantur, quae exstant apud tragicos, apud Gregorium non inveniuntur:

a. Non adhibuit in hoc pede Gregorius dactylum com-

tertium pedem solutum esse statui, ut vitarem spondeum alterius pedis, quem quamquam non prorsus rejecit Theologus (cfr. p. 7 annot. 2), certe tamen non adamavit.

[1]) Vide Rumpelium in Phil. 28, p. 609.

[2]) Nisi per crasim τἀπορεῖν legi probas.

[3]) Per Gregorii prosodiam licuit anapaestum quoque quarti pedis defenderes: cfr p. 31 annot. 3. Talem autem anapaestum Theologus ter tantum in quarta sede admisit: vide II § 15, 2. δ.

positum ex monosyllabo et bisyllabo, qualem ter apud Aeschylum, quater apud Sophoclem, haud raro apud Euripidem legimus.

b. Non admisit dactylum conformatum duobus monosyllabis et initio vocabuli, quod sequitur. Ita duobus locis Sophocles, compluribus Euripides tertium senarii pedem solverunt.

c. Non offert dactylum ex tribus monosyllabis constantem, quam solutionis formam ter suppeditat Sophocles, saepius Euripides.

d. Denique non praebet dactylum mediis vocabuli syllabis expressum, qualis bis nobis apud Euripidem occurrit: Hel. 753: τί δῆτα μαντευόμεθα. Or. 444: κύκλῳ γὰρ εἱλισσόμεθα.

Jam complexi dactylorum tertii pedis numerum invenimus Gregorium in hac senarii sede triginta quattuor dactylos adhibuisse, quorum longe plerique, viginti sex, duobus vocabulis formati sunt; duo tantum constant ex uno vocabulo, sex tribus expressi sunt; caesura est exceptis sex locis semiquinaria, quam Theologum omnino unice fere adamasse videmus.[1]) Quinque locis (vide 1 β; 2 δ) Gregorius in majorem negligentiam incidit quam Sophocles et Euripides, sexies (vide 1 α, β; 2 δ) quam Aeschylus. Contra hic semel (a), ter (a, b, c) Sophocles, quater (a, b, c, d) Euripides dactyli figura usi sunt, a qua Theologi carmina iambica vacant.

---

§ 9.

De dactylis quinti pedis.

Quamquam perpauci in Gregorii carminibus exstant versus, qui quinti pedis iambum in dactylum solutum praebent, tamen non esse existimo, cur versus illos corruptos esse statuamus, cum et singula verba nihil offensionis habeant et tota sententia sanissima sit.

Quinquies dactylus quinti pedis ex duobus vocabulis conformatus est:

---

[1]) Cfr. Christ.: Metrik p. 333[2].

α. Quattuor locis constat longa dactyli syllaba ex monosyllabo, breves vocem, quae sequitur, incipiunt:

I, 2, 33, 94: κρεῖσσον γὰρ εἶναι τοῦ δοκεῖν. εἰ δ' ἄμετρος εἶ.

I, 2, 34, 60: τῆς δ' ἰσότητος ἔκβασις, τοῦτ' ἀδικία.

I, 2, 34, 194: τὸ πρῶτον, ἄζυξ ἀζύγων· ἡ δ' ἀπογραφή.

II, 1, 14, 13: ἦ παντὸς ἂν τόδ', ἴστε, καὶ νῦν ἐπριάμην.

β. Semel expressa est longa dactyli syllaba fine vocabuli, breves vocem, quae sequitur, incipiunt:

I, 2, 10, 53: γάμου τε λαμπροῦ καὶ τραπέζης Συβαρικῆς.

Tragicos quintum senarii pedem in dactylum non solvisse nemo nescit.[1]) Unus tantum versus fabulae satyricae exstat, qui in quinto pede dactylum praebet: Python. frgm. I, 16: σίτου διαπέμψαι καὶ πολίτην γεγονέναι.[2]) Contra Aristophanes non parcus est in adhibendis quinti pedis dactylis, quorum plerosque ita expressos invenimus, ut breves syllabae cum ultimis versus syllabis unum vocabulum efficiant;[3]) idem ex quinque Gregorii exemplis quattuor ostendunt.

---

§ 10.
De dactylis alterius et quarti pedis.

Quattuor Gregorii trimetri iambici exstant, quorum bini in altero et quarto pede dactylum praebent aut certe praebere videntur, cum dijudicari non posse existimem, utrum vere dactyli habendi sint necne. Sed singulos videamus.

1. I, 1, 12, 27: εἶτ' Ἰεζεκιὴλ καὶ Δανιήλου χάρις. Ego quidem contenderim per unam syllabam Ἰεζ legendum esse; conferas:

II, 2, 8, 278: Μιχαίαν, Ἰωήλ, Ἀβδίαν, καὶ τὸν τύπον,

ubi etiam propterea Ἰω͡ legendum esse censeo, ne ultimam nominis Μιχαίαν syllabam brevem esse statuamus.[4])

II, 2, 8, 71: παρατριβόμενοί τ' ἐν δόλῳ πανουργίας.

Fortasse in altero hujus versus pede tribrachus ponendus

1) Vide C. Fr. Muellerum: De ped. sol. p. 114.

2) Vide C. Fr. Muellerum: De ped. sol. in trag. min. trim. iamb. p. 14.

3) Vide Rumpelium in Phil. 28, p. 609.

4) Quamquam hanc syllabam a Gregorio omnino corripi posse non negaverim; cfr. p. 29 annot. 1.

est, ita ut ι verbi τρίβειν a Gregorio correptum esse putemus, id quod sine dubio haud magnam offensionem affert.[1])

2. I, 2, 25, 175: νόμοι παρωθοῦνται, οὐ διεγνώσθη φίλος. Si ultimam verbi παρωθοῦνται syllabam eliserimus, solutionem removebimus.[2])

II, 1, 11, 971: οὔσης τότ', ὥς τι καὶ τῆς καλάμης συλλέγειν.

Hunc versum conjectura tentare nolim, sed recte traditum esse crediderim.

Neque tragicos poëtas neque comicos in altero et quarto pede iambi loco admisisse dactylum quis ignorat?[3])

§ 11.

Jam quaecunque de dactylis a Gregorio adhibitis disseruimus, paucis complectamur:

1. Exstant in 7550 trimetris Gregorii 83 dactyli, quorum primi et tertii pedis sunt 74. Quo de numero si detraxerimus duo exempla, quippe quae nominum propriorum syllabis expressa sint,[4]) restant 72 dactyli, ita ut singuli in centenis quinis senariis inveniantur. Videamus nunc, qualis sit ratio poëtarum tragicorum et Aristophanis ad hunc dactylorum numerum a Theologo effectum:

Aeschylus:	140	:	4308	:	31,
Sophocles:	204	:	7568	:	37,
Euripides:	1923	:	17825	:	9,
Aristophanes:	1465	:	9208	:	6[5]),
Gregorius:	72	:	7550	:	105.

[1]) Vide p. 29, annot. 1.

[2]) Talem elisionem Gregorium saepius adhibuisse constat. Cfr. I, 2, 24, 75: φυλάσσετ' εὐορκοῦντι. 89: καθίστατ' ἀντί. I, 2, 25, 119: γίνετ' ἀστραπηφόρος. 67: ἔρχετ' εὔδρομος. I, 2, 28, 126: γραφήσετ' ἐν. Verbum παρωθοῦνται ab eis, quae sequuntur, sententia diremptum offensioni non esset: cfr. I, 2, 28, 118: φυλάσσετ', οὔθ'. I, 2, 24, 233: B. θυμός τι λήψετ'; A. εὖγε etc.

[3]) Cfr. Muellerum: De ped. sol. p. 114.

[4]) Ad totam hanc disputationem cfr. II, § 6.

[5]) Hos numeros computans Rumpelium Phil. 28 p. 608 secutus sum. Illum dactylos quoque ex nominum propriorum syllabis effectos in censum vocasse vidimus neque multum interest.

Omnium longe minimum dactylorum numerum Gregorium nobis offerre cognoscimus.

2. Et apud tragicos et Aristophanem dactylorum tertii pedis numerus multo major est quam primae sedis — in Aeschyli et Sophoclis fabulis omnino perpauci tantum dactyli in initio versus inveniuntur: Gregorius in primo pede plures praebet dactylos quam in tertio; utroque pede ut apud Aristophanem ita apud Gregorium quinti pedis dactyli numero multo inferiores sunt.

3. Ex undeoctoginta primae, tertiae, quintae sedis dactylis quindecim uno vocabulo expressi sunt, quinquaginta constant ex duobus, quattuordecim ex tribus vocabulis. Secutus tragicorum usum Theologus una voce efficere veritus dactylos, imprimis tertii pedis — duo ejusmodi exempla nobis obviam fiunt — plurimos ex duobus vocabulis composuit, idque ita fere, ut thesis in finem vocabuli incidat, solutae arsis tempora proximum incipiant. Quattuor locis (II. § 8. 2 b) occurrit haec dactyli forma — ⏑|⏑, ut breves syllabae alia ad aliam vocem pertineant. Ubi Theologus dactylum tribus vocabulis formavit, haec fere arcte inter se cohaerere notandum est. A cujusmodi dactylis quintus trimetri pes omnino vacat. Utrum in altera quoque et quarta senarii sede dactyli defendendi sint necne, dubitari certe potest.

Apparet igitur in formandis dactylis iisque distribuendis in singulos pedes Gregorium nonnunquam alias leges atque tragicos secutum esse.

Caput III.

De anapaestis a Gregorio in trimetro iambico admissis.

§ 12.

De anapaestis primi pedis.

1. Anapaestus continetur una voce:

α. Conformatur integro vocabulo: I, 2, 10, 251: βασιλεῖ. 402: Ὀδυσσεύς.[1]) I, 2, 32, 16: ἱερεῖς. I, 2, 34, 123: ἔλεος (μέν). I, 2, 34, 62: σοφία. II, 2, 8, 222: σοφίαν. II, 2, 8, 51: κακίαν. Quae anapaesti forma invenitur persaepe apud tragicos.

β. Constat ex initio vocabuli plus quam tres syllabas complexi: I, 1, 26, 8: ἀκάθαρτον. I, 2, 10, 207: Ἀκαδημίαι. 787: Ἐπίκουρος. I, 2, 34, 84: ὑπερήφανος. 91: μεγαλοπρέπεια.[2]) 93: μεγαλόφρονος.[2]) 95: φιλοτιμί'. II, 1, 11, 355 et 390: Βασίλειος. Anapaestos hoc modo expressos suppeditant Aeschylus, Sophocles, Euripides, tragici minores.

2. Anapaestus efficitur duobus vocabulis:

α. Semel constat ex articulo et voce bisyllaba: I, 2, 28, 35: ὁ πένης. Cujusmodi exemplum nullum exstat apud Aeschylum, unum apud Sophoclem idque in Phil. fabulae v. 795: τὸν ἴσον χρόνον, tria apud Euripidem, unum in Agathon. frgm. 4, 5: ἐφ' ἑνός τε.

---

[1]) Versus incipit in Mignii editione: Ὀδυσσεὺς ἐκεῖνος. Morellus et Billius recte scripserunt: Ὀδυσεύς.

[2]) His duobus locis anapaestum ponens vereor, ne parum mihi constare videar. Sed cum ejusdem carminis versus 84, 90 (ἀνελευθερίαν), 95 ab anapaestis incipiant, hos in versibus quoque 91 et 93 statui, id quod per Gregorii prosodiam utique licet. Accedit, quod etiam v. 92 in μικροπρέπεια nomine πρ literae positionem faciunt.

β. Bis constat ex articulo et initio proximi vocabuli: I, 2, 34, 39: τὸ δ' ἀκούσιον.[1]) II, 1, 11, 1300: τὸ δ' ἑκούσιον. Anapaestos tali modo comparatos apud tragicos frustra quaerimus, reperimus apud Aristophanem haud paucos.

γ. Semel anapaestus compositus est ex bisyllabo et monosyllabo: I, 2, 10, 120: τότε δή.[2]) Ita Sophocles semel in fabula satyrica, frgm. 304, 2: ὑπὸ τοῦ, sexies Euripides anapaestum effecerunt; quam anapaesti formam in tragicorum minorum fragmentis ter invenimus.

3. Semel anapaestum tribus vocabulis conformatum videmus: I, 2, 24, 315: μὰ τὸ δαιμόνιον.[3]) Tales anapaestos repudiaverunt tragici, adhibuit Aristophanes.

Non expressit Gregorius anapaestum primi pedis:

a. voce bisyllaba et initio proximi vocabuli, id quod nobis obviam fit in Euripidis fabulis et in Ezechielis exagoga.

b. tribus monosyllabis, id quod nobis semel occurrit in Sophoclis fabulae satyricae frgm. 307, 1: ὅ τι ἂν τι.

Unum et viginti anapaestos Gregorius in primo senarii pede adhibuit, quorum longe plerosque, sedecim, tragicorum exemplum secutus uno vocabulo conclusit. Quattuor anapaesti ex duobus vocabulis compositi sunt, quorum duo (2 β) tragicorum usui non respondent; semel — ac ne hoc quidem exemplum omnino certum est — anapaestus tribus vocabulis continetur. Unam anapaesti formam (a) ab Euripide, unam semel (b) a Sophocle usurpatam Gregorius non suppeditat. Eum igitur fere non excessisse tragicorum in admittendis primae senarii sedis anapaestis licentiam statuere possumus.

Sed antequam ad accuratius explicandos anapaestos a Gregorio in ceteris senarii pedibus admissos accedamus, pauca

[1]) Ita recte Morellus habet; falso scripsit Mignius: τὸ δὲ ἀκούσιον.

[2]) Quod Coisl. habet; δή omisso τότε προδείξας Morellus, Billius, Benedictini nobis offerunt. Sed τότε δή, quod Mignius recepit, aptius est, si sensum spectamus.

[3]) In Morelli, Billii, Benedictinorum editione deest μα, quod praebet Coisl., suoque jure ob sententiam Mignius recepit.

praemittenda sunt. Tragicos poëtas in altera, tertia, quarta, quinta trimetri iambici sede non adhibuisse anapaestos nisi nominum propriorum syllabis expressos jam dudum viris doctis persuasum fuit, cum optimo jure illos versus vitio laborare statuerint, qui illi legi repugnantes in alio atque in primo pede anapaestum praebeant. Quos locos tota quaestione denuo instituta C. Fr. Muellerus diligentissime congessit simulque protulit, quas rationes viasque ad tollenda solutionis exempla falso tradita homines artis criticae periti ingressi sint.[1]) In fabulis tamen satyricis poëtas paulo majorem licentiam sibi sumpsisse notandum est.[2]) Contra a comicis poëtis in omnibus praeter sextum pedibus iambi loco anapaestum usurpatum esse nemo nescit. Sed ne hos quidem duobus vel tribus vocabulis anapaestum efficientes postpositis omnibus regulis maxima licentia usos esse et jam prius viri docti noverunt et ante hos fere decem annos C. Bernhardius denuo exposuit.[3]) Ac mihi proposui, ut explicans anapaesti conformationes a Theologo adhibitas accuratius quaererem, utrum hae conformationes legibus illis a comicis servatis conveniant necne. Rationem autem habebo illorum quoque anapaestorum, qui in tragoediis (in his scilicet nominum propriorum syllabis expressi) et in fabulis satyricis exstant.

His praemissis disseram

§ 13.

De anaepaestis alterius pedis.

1. Anapaestus constat ex uno vocabulo:

α. Conformatur integro: I, 2, 8, 136: τοίχων, ὀροφῶν. I, 2, 10, 230: ὡς ἂν κακίας. 247: χρυσῆν συνελών. 497: ὁρμῶν ποταμῶν. 759: αὔχεις, Νεμέαν. I, 2, 25, 340: ἔργων ἔχεται.

---

[1]) C. Fr. Muellerus: „De ped. sol. in dialogorum senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis", § 26 et q. seq. et: „De ped. sol. in tragicorum minorum trimetris iambicis" § 9 et 10.

[2]) Quod ex iisdem Muelleri dissertationibus elucet.

[3]) Act. soc. phil. Lips. I, p. 244: „de incisionibus anapaesti in trimetro comico Graecorum."

II, 1, 11, 407: νόμος φιλίας. 460: ψυχαὶ πρόφασις, τό. 897: οὕτω δικάσαι. 1099: φεῦ τῆς ἀκοῆς. 1255: ἧττον δ' ἀκοῆς. 1433: καὶ τῷ σπανίῳ. 1455: προςφύς, ἱκέτης. 1521: ὁ ἦν; Μέλιτος γάρ. II, 1, 12, 241: σοφούς, νομικούς. 557: οὐδὲ σταδιεύς. 673: αἰσχρὸν μεγάλων. 739: ἢ καὶ γραφέων.[1] Quam hujus sedis anapaesti conformationem semel Euripides habet in nomine proprio: Hel. 88: Τελαμών, Σαλαμὶς δέ; bis in Cyclopis fabula in appellativis: v. 546: παριών. 562: καθαρὸν τό: vacant ab ea tragicorum minorum fragmenta; persaepe invenitur apud Aristophanem.

β. Expressus est anapaestus prioribus vocabuli syllabis: I, 1, 6, 43: πλουτεῖν, ἀμεριμνεῖν. I, 2, 10, 48: πλέκων λαβυρίνθους. 541: θεοῦ διαθηκῶν. 564: ὅλης ἐπιτρέψας. I, 2, 25, 324: ἐν τοῖς μακαρισμοῖς. 338: ἄν τις καταρᾶται. I, 2, 33, 119: ὃς καὶ βασιλείαν. I, 2, 34, 48: ἣν δὴ πραότητα.[2] 227: τράπεζ', ἱερωσύνη. 258: τίς δ' ἡ βασιλεία. II, 1, 11, 239: ἤδη τριακοστόν. 276: ἢ καὶ προτέλεια. 531: θεῷ προςενεγκεῖν. 1584: ἣν οἱ στασιώδεις. II, 1, 12, 388: πλὴν εἰ καταδῦσαι. 481: τὸ καὶ προςεπαινεῖσθαι. II, 1, 47, 16: αὐτῷ μεταπείθει. II, 2, 8, 73: αὐτοὺς ἀναπιμπλᾶν. 186: διττῶν Διαθηκῶν. 248: ὥσπερ θεραπαίνης. 274: τρεῖς δ' αὖ Σολομῶντος. 289: καινῆς Διαθήκης. Hoc anapaesti genus in altero pede abhibitum quater in nominibus propriis apud Euripidem invenimus: Herc. fur. 220: Μινύαισι. Iph. A. 1604: Ἀγαμέμνων. Cycl. 582: Γανυμήδην. 590: Διονύσου; bis in appellativis in Cycl. v. 260: ἐπεὶ κατελήφθη.[3] 684: παίσας κατέαγα; exstat unum exemplum hujusmodi in tragicorum minorum fragmentis: in Pythonis fabulae satyricae frgm. I v. 16 legimus: σίτου διαπέμψαι: plurima obviam fiunt apud Aristophanem.

γ. Semel anapaestum mediis vocabuli syllabis effectum videmus: II, 2, 8, 326: ὦ τρισμακάριστος. Nominis proprii Ἰφιγένεια mediae syllabae saepius apud Euripidem anapaestum alterius pedis exprimunt; in Pythonis frgm. I, 8 semel legitur: τὴν

---

[1]) Nisi per synizesin γραφέων legere mavis.

[2]) Vide p. 29, annot. 1.

[3]) Heathius et Hermannus solutionem conjectura removere voluerunt, cfr. Muelleri dissertationem p. 143.

Πυθιονίκης. Ne Aristophanes quidem in hujusmodi anapaestis adhibendis prodigum se praebet.[1])

δ. Conformatur anapaestus posterioribus vocabuli syllabis: I, 1, 26, 17: εἶτ' οἰκονόμος τι. I, 2, 10, 233: τὸ θαυμάσιον δή. 342: ὁ Λυσιμάχου. 638: ἐκ τετταράκοντ'. I, 2, 25, 447: τὸ δοξάριον δέ. I, 2, 28, 130: τῷ κληρονόμῳ. I, 2, 34, 57: ἡ σωφροσύνη. 59: δικαιοσύνη. 72: ἡ βασκανία. 88: ἐλευθερία. 103: κατηγορία. 127: διδασκαλία. 232: εὐαγγέλιον δέ. II, 1, 5, 3: Ἀναστασίας. II, 1, 11, 219: οὔθ' ἑλκόμενοι. 440: τῆς Καππαδοκῶν. 743: οὐ πρωτοτόκων. 1032: τί Διογένης. 1079: Ἀναστασία. II, 1, 12, 277: τί δ' ἡλιακῆς. II, 2, 8, 337: Ὀλυμπιάδα[2]) πρόσειπε. Talem anapaestum admisit Euripides in nominibus propriis Ἐριχθόνιος, Ἑρμιόνη, Νεοπτόλεμος, praeterea semel in Cycl. v. 647: ὡς αὐτόματον τόν; Aristophanes non parcus est in hujusmodi anapaestis usurpandis.

2. Anapaestus constat ex duobus vocabulis:

α. Semel invenimus anapaestum ex monosyllabo et bisyllabo compositum: II, 1, 12, 20: πᾶσιν μέν, ἐμοὶ δέ. Sed talem anapaestum omni modo tollendum esse existimo, primum quod permagna pausa post priorem thesis[3]) syllabam ferenda non esse videtur, tum, quod ne interpunctio quidem ante tertiam versus arsim invenitur. De quo rectissime Bernhardius monuit:[4]) „Deinde vero etiam μέν δέ ἄν γάρ particulae, cum antecedentibus verbis aptius quam insequentibus nectantur, anapaestum vicarium ordiri nequeunt." Facillime autem Gregorii anapaestum illum foedissimum removebimus, si scripserimus: πᾶσι μέν, ἐμοί δέ, quae dactyli forma non aliena est a Theologi senarii primo pede (cfr. § 7, 2 γ).

---

[1]) Cfr. Rumpelium, qui in Phil. 28, p. 611: „Am seltensten, inquit, sind in allen vier Füssen die Anapäste in solchen Wörtern, welche sowohl mit dem vorhergehenden als auch mit dem folgenden Fusse durch Silben verbunden sind."

[2]) Nisi in tribrachum iambum solutum esse mavis; sed cum alia exempla desint, quae tribrachum alterius pedis fine vocabuli expressum ostendant, hoc loco anapaestum probavi. Cfr. etiam p. 31 annot. 3.

[3]) Hac appellatione utor cum Bernhardio Bentleium secutus.

[4]) l. l. p. 265.

Addiderim in Cycl. v. 272: ἀπόλοιθ᾽ ὁ πατήρ non offendendum esse, cum articulus arctissimo vinculo cum substantivo, quod sequitur, sociatus sit.

β. Conformatur anapaestus voce monosyllaba et initio proximae vocis: I, 1, 10, 61: οὕτω τὸ θεῶσαν. I, 2, 10, 578: πλουτεῖ τὸ πένεσθαι. I, 2, 24, 123: οὐδὲν τὸ μιμεῖσθαι.[1]) Quod anapaesti genus haud improbandum est, cum articulus ad vocem, quae sequitur, arctissime pertineat.[2]) Idem cadit in monosyllabas praepositiones breves: II, 1, 11, 93: τραφεὶς δ᾽ ἐν ἅπασι. — Huic conditioni, ut „interrogativa aut relativa pronomina in medio quidem versu anapaestum ordiri non soleant, nisi quae interpunctio antecedit"[3]) satisfaciunt haec exempla: I, 2, 10, 307: ἀνδρῶν; τί δ᾽ Ἀρίστιππος et I, 2, 25, 511: οὕτως ὃς ὑβρίζει μὴ χολούμενόν τινα, ἀλλ᾽ ἐκγελῶντα τὴν μάχην, ἀλγεῖ πλέον, qua in sententia οὕτως ad ἀλγεῖ πλέον referendum est, ita ut vocis intermissio post οὕτως statuenda sit.

Sed duo anapaesti non conveniunt cum regulis a comicis servatis, cum „ante tertiam versus arsim gravius expressa caesura locum non habeat":[4]) II, 1, 11, 956: τάχ᾽ ἄν τις ἀπαντήσειε. 1296: τὸ μὲν γὰρ ἀκούσιον. Sed tamen hi loci in suspicionem vocari non debent.

Sequuntur duo versus, e quibus solutio removenda est, cum facillime removeri possit: I, 2, 10, 60: σοφῶν τε ἀκούω; scribendum est: σοφῶν τ᾽ ἀκούω. II, 1, 11, 418: ὡς νῦν μὲν ὀϊστά; recipiendum est: ὡς νῦν μὲν οἰστά.[5])

Tres anapaesti isto modo comparati inveniuntur in Cyclopis fabula et in fragmentis tragicorum minorum: Cycl. v. 588: μέμφει τὸν ἐραστήν. Achaei frgm. 25 v. 1: πολὺς γὰρ ὅμιλος, adesp. frgm. 382 v. 2: θυσίας γὰρ ἀπαρχάς.

γ. Anapaestus compositus est ex fine vocabuli proximique prioribus syllabis. Hujusmodi anapaestos Aristophanes

---

[1]) Vide p. 29, annot. 1.

[2]) C. Bernhardius: „de incis. anap." p. 261.

[3]) Bernhardius l. l. p. 262.

[4]) Bernhardius l. l. p. 285 et 286.

[5]) Vide p. 50, annot. 3.

iisdem legibus circumscripsit atque eos qui ex monosyllabo et initio proximi vocabuli conformati sunt. Cui regulae oboediunt Gregorii versus:

I, 2, 32, 46: ἀλλ' ἀντὶ γάλακτος, αἱμάτων πηγὰς ὕσει,
I, 2, 37, 5: ἰλύος ἐφέλκει, τοῦτο ῥυφθῆναι πόνοις,
I, 2, 25, 308: σοὶ μηδὲ χολοῦσθαί ἐστιν ἐντεταγμένον,

nam in exempli postremi penthemimeri si minus interpunctionem at certe „sententiae pausam satis distinctam esse" quis negaverit! — Elisione, quippe quae vocabula arctius inter se conjungat,[1]) excusatur anapaestus hujus versus: II, 1, 11, 1926: κοκκύζετ' ἀλεκτόρειον. — Omni autem excusatione carere mihi videtur:

II, 1, 12, 254: ὢ ταῦτα λαλῶν σύγε προθύμως, καὶ μόνον.[2])

Incerta est etiam lectio versus, qui sequitur:

I, 2, 10, 548: ὃς οὐδὲ διπλοῦν εἴασε κεκτῆσθαι ῥάκος.

Sermo est de Ioanne baptista. Coisl. habet εἴα. Et aoristus et imperfectum defendi potest, quamquam aptius mihi εἴα videtur. Hoc recipiendum esse puto, ita ut solutio amoveatur. Atque ut de hujus versus vera scriptione dubitari possit, ex versibus, qui sequuntur, solutionem delendam esse meo jure contenderim. I, 2, 10, 757: τοιαῦτα ἀθλητῶν mutandum est in τοιαῦτ' ἀθλητῶν vel propterea, quod prima ἀθλητῶν substantivi syllaba longa est. II, 1, 12, 811: τὰ δ' ἄλλα ἐκεῖθεν scribendum est per elisionem τὰ δ' ἄλλ' ἐκεῖθεν.

Anapaesti conformati ita, ut supra indicavimus, non exstant in fabulis satyricis, quantum quidem ex reliquiis earum cognosci potest. Idem cadit in proximam anapaesti formam:

δ. Anapaestus continetur voce bisyllaba et monosyllaba:

I, 1, 17, 5: ἢ καὶ μικρὸν ἦν ἔλαιον ἐν τῷ καψάκῃ.

Quod exemplum comicorum usui non respondet, cum „bisyllabae omnes praeter praepositiones, nisi excipiunt aliquam interpunctionem, in medio versu anapaestum ordiri non

---

[1]) Cfr. C. Bernhardium l. l. p. 276.

[2]) Nisi statuens priorem vocis λαλῶν syllabam hoc loco productam esse (cfr. p. 23 annot. 1) iambum tertii pedis in dactylum solutum mavis; ad hanc dactyli formam vide II, § 8, 2 β.

soleant". [1]) καί illud ante μικρόν positum sensu incolumi omitti posset; sed mihi quidem illud delendum non videtur. — I, 1, 17, 1: αὕτη, ξένε, καί. A tali anapaesto prorsus abhorruerunt comici, nam interpunctio post thesim anapaesti posita non nisi nonnunquam in primo pede ferri potest. [2])

ε. Anapaestus continetur semel voce bisyllaba proximaeque initio: II, 1, 47, 13: κ᾽ ἦν μέν ποτε δώσεις τῷ θράσει τὰς ἡνίας. Ne hic quidem anapaestus comicis probatur, cum desit gravior pausa post caesuram semiquinariam, quamquam sine dubio post δώσεις vox paululum intermittit.

Achaei frgm. 11 v. 2: ἦ που σφόδρα θυμοῖ; obtemperat comicorum legibus.

ϛ. Exprimitur semel anapaestus posterioribus vocabuli syllabis et initio proximi: I, 2, 10, 51: Ἀβάριδος [3]) οἰστός, ὅστις ἦν, οἱ μυθικοί. Hunc anapaestum conditioni, cui debet, oboedire cognoscimus.

Similis est Cycl. v. 334 anapaestus: ἀγὼ οὔτινι θύω. [4])

3. Anapaestum semel in tria vocabula diremtum invenimus: II, 1, 12, 482: εἰ δ᾽ οὐδὲ τὸ λουτρὸν ἐκκαθαίρει παντελῶς. Qui anapaestus, quod desideratur distincta pausa post λουτρόν, comicis offensioni est.

Exstant igitur in 7550 trimetris iambicis Gregorii alterius pedis octoginta anapaesti — incerta exempla in censum non voco — quorum sexaginta duo uno vocabulo, septemdecim duobus, unus tribus vocabulis conformati sunt. Anapaesti duobus vel tribus vocabulis effecti non semper legibus a comicis servatis sese accommodant. Singuli tantum hujusmodi anapaesti in tragicorum fabulis satyricis inveniuntur.

---

[1]) Vide C. Bernhardium l. l. p. 281.

[2]) Vide C. Bernhardium l. l. p. 282.

[3]) In Mignii editione versus incipit: Ἀβάριδος ὀϊστός, quod ferendum non esse puto; οἰστός ego scripserim. Alteram autem Ἀβάριδος nominis syllabam longam esse statui respiciens Nonni Dion. XI, 132: ἔκλυες αὐτὸν Ἄβαριν, ὃν εἰς δρόμον ἠεροφοίτην. Cfr. ceterum p. 23, annot. 1.

[4]) Hermannus scribere voluit: ἀγὼ οὔτι θύω. Vide C. Fr. Muellerum: De ped. sol. et q. s. p. 143 annot. 4.

§ 14.

De anapaestis tertii pedis.

1. Anapaestus uno vocabulo efficitur:

α. Integro formatur: I, 2, 10, 100: καλοῦσι γὰρ λογικήν. II, 1, 12, 365: πρόεδρος ἡ κακία. II, 1, 39, 27: κενήν, ὃ δὴ λέγεται.

Nusquam apud tragicos tale exemplum invenitur, exstant apud Aristophanem.

β. Ex prioribus vocabuli syllabis constat: I, 2, 10, 469: Ἐδὲμ δὲ καὶ παράδεισος. I, 2, 33, 192: ζητεῖ γὰρ ὧν βεβίωκε. II, 1, 12, 741: Ζεῦξίς τις ἢ Πολύκλειτος.

Bis in nominibus propriis Euripides hujusmodi anapaestum offert (Φρυγίοισιν, Μενέλαε); in (Python. frgm. I, v. 10 legitur: τίνες τύχαι κατέχουσιν, et in) Lycophronis frgm. II, 2 reperitur: ὑδαρὲς ὁ παῖς περιῆγε. Apud Aristophanem anapaestos tertii pedis tali modo effectos permultos invenimus.

γ. Continetur anapaestus mediis vocabuli syllabis: I, 2, 8, 184: θεοῦ γὰρ ἀλλοτρίωσις. II, 1, 11, 1821: καὶ δοῦλον ἐχρεμέτιζον.

Conferas velim Soph. Oed. Col. v. 1320: Παρθενοπαῖος. Eur. Iph. T. 825: Ἱπποδάμεια. 1314: Ἰφιγένεια. Phoen. 1111: Ἀμφιάραος. In voce appellativa occurrit talis anapaestus Cycl. v. 234: τούς τ' ἄρνας ἐξεφοροῦντο. Haud ita multa exempla Aristophanis fabulae praebent.

δ. Posterioribus vocabuli syllabis anapaestus exprimitur semel: I, 2, 10, 802: ἑταίραν εἰςεκάλει.

Sic Sophocles semel in nomine proprio: Oed. Col. 1317: Ἱππομέδοντ', ter Euripides. Comoedia hanc anapaesti conformationem non aspernata est.

2. Anapaestus ex duobus vocabulis compositus est: Quod in comicorum senarii altera (et quarta) sede certis conditionibus fieri perspeximus, priorem anapaesti syllabam brevem nonnunquam effici finali vocabuli syllaba aut monosyllabo, quod cum antecendenti voce cohaeret, hoc in tertio pede (et quinto) nullo modo licitum fuit.[1]) Gregorium tamen huic legi sese non adstrinxisse, sed anapaestos isto modo comparatos in tertia (et in quinta) sede admisisse cognoscemus.

[1]) Vide Bernhardium l. l. p. 246 et p. 262.

α. Anapaestus constat ex voce monosyllaba et proximae vocis initio: II, 1, 12, 806: ᾧ κίνδυνοί τε συνῆψαν, καὶ νυκτῶν χάρις.

β. Exprimitur fine vocabuli et prioribus syllabis vocabuli, quod sequitur:

I, 1, 12, 24: Ἀγγαῖος, εἶτα Ζαχαρίας,[1]) Μαλαχίας,
I, 2, 10, 362: ἔδειξε· ῥινὸς ὑπερφανείσης ἀθρόως,
I, 2, 10, 754: κάθαρσιν ἔνθεν ἄπιστον, ἄχρι σημάτων,
I, 2, 28, 101: ὥσπερ δράκοντος ἐπιῤῥέουσαι φωλίδες,
II, 1, 12, 646: νόμον δίδωσι πονηρίας τὸν προστάτην,
II, 1, 12, 357: ὡς σφόδρα χρώμεθ᾽ ἀναξίοις τοῖς προστάταις.

quo in versu elisione haec anacpaesti forma excusatur.[2])

Comici a tertio (et quinto) pede prorsus illos anapaestos removerunt, quorum thesis constat ex posterioribus vocabuli syllabis aut voce bisyllaba (imprimis enclitica), quae ad vocabulum, quod antecedit, arctissime se acclinat.[3]) Ne hanc quidem comicorum diligentiam Theologus adhibuit, id quod probatur quattuor satis certis exemplis:

γ. Anapaestus compositus est ex monosyllabo et vocabuli, quod antecedit, posterioribus syllabis:

I, 2, 34, 251: μεθ᾽ ἣν ἀνάστασις, ἡ δέσις τοῦ συνθέτου.
II, 1, 12, 542: πάντες τεθήπασί σ᾽, οὐδ᾽ ὁ μῶμος ἅπτεται.

δ. Anapaestus continetur initio vocabuli ejusque, quod antecedit, posterioribus syllabis:

II, 1, 12, 78: ἔκδημον ἤγαγεν· ὅστις, οὐκ ἔχω λέγειν,
II, 2, 8, 336: ἔμψυχον εἰκόνα, πίστεώς τε σφραγῖδα.

Quid, quod in his exemplis interpunctioni post thesim positae occurris! Quamquam ego quidem assentiendum esse Bernhardio censeo contendenti contra Reisigium et Blaydesium[4]) anapaestum discissum interpunctione aut post priorem aut posteriorem brevem syllabam facta non modo non excusari, sed plus etiam offensionis habere.

---

[1]) Cfr. II, 2, 8, 281: Ζαχαρίας.
[2]) Vide Bernhardium l. l. p. 276.
[3]) Vide Bernhardium l. l. p. 270 et 280.
[4]) Vide Bernhardium l. l. p. 251 et 274.

3. Anapaestus efficitur tribus vocabulis:

α. Constat ex duobus monosyllabis atque initio proximi vocabuli: I, 2, 24, 81: ἀρνήσεως δὲ τί χεῖρον. II, 1, 11, 1943: ἐκκλησίαις δὲ τί δώσομεν; II, 1, 12, 266: οὐκ εὐμαθεῖς δὲ τὸν εὐπρεπῆ. Parum elegans haec anapaesti forma est neque probatur comicis, cum δέ ad vocabulum, quod antecedit, spectet et ante anapaestum desideretnr interpunctio.[1])

β. Exprimitur fine vocabuli, articulo, initio vocabuli, quod sequitur: II, 1, 11, 755: τὰ μὲν παλαιά, τὰ δ' ἀρτίως. Ex eis, quae supra (§ 14, 2) exposuimus, apparet talem anapaestum alienum esse a tertio (et quinto) comicorum senarii pede.

Viginti quattuor anapaestos Theologum in tertio senarii pede adhibuisse vidimus. Quorum novem, una voce expressi, comicorum usui respondent, contra quindecim — undecim duobus, quattuor tribus vocabulis formati — praeter unum (2, β allatum sexto loco) omnes repugnant legibus a comicis servatis.

---

§ 15.

De anapaestis quarti pedis.

1. Anapaestus constat ex uno vocabulo:

α. Efficitur integra voce: I, 1, 10, 67: εἰ τῷ θεῷ δέ· πῶς ἑτέρῳ. I, 2, 6, 58: ἀποστερήσεις; καὶ Σοδόμων. I, 2, 8, 77: τοῦ καὶ διδόντος καὶ πατρικῶς. 112: τάχ' ἂν τόδ' εἴποις, ὡς πενία. 180: ἔστησεν· οὔκουν, ὡς παγίοις. I, 2, 10, 39: πανηγυρίζῃς δὲ στεφάνων. 211: οὐδὲν τιθέντας τῆς ἀρετῆς. 231: ἀρθεὶς ὑπὲρ βωμοῦ, μεγάλῳ. 312: ἐρεῖς ἄπληστον, καὶ πενίᾳ. 398: ὀπηδὸν εἶναι τὴν ἀρετήν. 406: εἶναι προδήλως τῆς ἀρετῆς. 528: πῦρ εἷλκεν ἐχθροῖς καὶ θυσίαις. 529: γήραις ἐπήγαζεν[2]) ῥανίδος στενῆς. 551: τρυφῶντα Πέτρον, τοὺς μεγάλους. 563: ἀσανδάλοις τε καὶ ἀπόροις.[3]) 582: καὶ βαρβάροις γὰρ τῆς ἀρετῆς. 615: ἐβούλεθ' αὐτῷ καὶ γεράνου. 672: ὄψον, σποδόν τε καὶ δάκρυον μεμιγμένον.

---

[1]) Vide Bernhardium l. l. p. 285.

[2]) Mignius habet „ἐπήγαζε", cui verbo ν addidi.

[3]) Nisi melius per crasin legitur: κἀπόροις.

674: ἅ μοι δοκοῦσι καὶ φύσεως.[1]) I, 2, 25, 220: τί δ'; οὐ τὸν ὑβριστὴν Σεμεεί. 245: οὐδ' εἴριξέν τι. τὸν κακίᾳ. I, 2, 28, 259: γυμνῇ δὲ χωρεῖν τῇ κεφαλῇ. 355: πόλεις ἀμείβετ' ἐκ πόλεων.[1]) I, 2, 34, 49: ἕξιν δὲ καλῶν, τὴν ἀρετήν.[2]) 160: συμψυχίαν δὲ τὴν ἀγάπην. II, 1, 11, 162: πάντων δὲ τὸν κοινὸν θάνατον δεδοικότων. 191: αὐτοῖς στρατάρχαις, τῆς κτίσεως.[1]) 629: ψυχὴν ἄνουν τε καὶ ἀλόγου.[3]) 947: πάθη τὰ μικρὰ ταῖς μεγάλαις. 1132: ἣ τῆς κρατούσης νῦν Ἰταλῶν. 1168: οἱ συντιθέντες τὴν θεότητ'. 1258: οὕτω μαθόντες ἐκ γραφικῶν. 1450: οἱ μὲν θεῷ τε καὶ βασιλεῖ. 1767: ταύτην ἠπείρων τὴν πολιάν. 1863: νέων ὄλεθρος. καὶ σπιλάδες. λόγοι. 1881: κἀγώ τιν', εἶπον, ὦ Βασιλεῦ. 1898: ταύτην δ' ἀπαίτει (τὴν πολιάν). II, 1, 12, 69: κράτιστος εἶναι τὴν ἀρετήν. II, 1, 12, 158: οἱ δ' ἐκ δικέλλης καὶ σμινύης. 179: μηδ' εἰ λίαν μοι τὸ χθαμαλὸν σπουδάζεται. 419: νῦν μοι δικαστής, καὶ Δανιήλ. 708: τὸ γὰρ πεφυκὸς οὐ ταχέως (vide annot. 1). 824: στέργοιτ', ἀφέντες τὰς ἰδίας. II, 1, 41, 52: ὅταν ῥέωσιν, ὡς ζέφυρος κατά. II, 2, 8, 245: καὶ γὰρ δίκαιον τὴν σοφίαν.

Talis anapaesti exemplum unum exstat Cycl. v. 232: ἔλεγον ἐγὼ τάδ'· οἱ δ' ἐφόρουν, duo in nominibus propriis v. 177: Ἑλένην. v. 581: Χάριτες; desunt in tragicorum minorum reliquiis.

β. Anapaestus formatur primis vocabuli syllabis: I, 1, 10, 38: ὁ τοῖς τέμνουσι τὴν θεότητα. I, 1, 18, 91: ἔνθεν δὲ Λουκᾷ τὴν ἱερατικήν. I, 1, 26, 12: Χριστῷ, καλῶς τε τῇ θεραπείᾳ. I, 2, 8, 229: σκοπεῖν δ' ἐφ' αὑτῷ καὶ δοκιμάζειν. I, 2, 10, 129: δι' ὧν πυροῦται καὶ δοκιμάζετ'. 191: ἄστροις ἔδωκαν τοῖς ὁμοδούλοις. 498: εἰ καὶ πολυθρέμμων ἐπάνεισιν. 861: ταῖς σφῶν δ' ἑταίραις τὴν Ἀφροδίτην. I, 2, 24, 91: τί πλεῖόν ἐστι τοῖς πολυόρκοις. II, 1, 11, 581: τεμὼν ἀνίσως τὴν ἀμέριστον. 1242: τῶν μὲν γάρ εἰσιν εἰς ἐπίδειξιν. II, 1, 12, 727: κἂν μὴ κυκλῶν τις, μηδ' ἀγοραῖος.

Anapaestum eodem modo conformatum invenimus Theodectis frgm. 6 v. 1: μαλακόφθαλμος et in Dionysii frgm. 9 v. 1: Διονυσίου.

---

[1]) Nisi per synicesin vocabulum pronuntiandum esse statuis.

[2]) Eodem tamen jure potes anapaestum alterius pedis defendere propter prosodiam: cfr. p. 23 annot. 1, sed quis est quin hoc loco inusitato alterius pedis anapaesto δέ καλῶν usitatissimum ἀρετήν quarti pedis praetulerit!

[3]) Nisi per crasin κἀλόγου scribis.

γ. Anapaestus compositus est ex mediis vocabuli syllabis: I, 2, 28, 232: πρὸς ταῦτα καί τι μυθολογῆσαι. II, 1, 11, 1098: οἷόν τις εἰπεῖν ἐξεβιάσθη. II, 1, 12, 616: γῆς καὶ θαλάσσης καρποφορούντων. II, 1, 41, 11: ἂν μικρὰ ἄττα σπερμολογήσῃ. II, 2, 8, 305: Κολοσσαεῦσι, Θεσσαλονικεῦσι.

Euripides in quarto pede ex mediis syllabis nominum Ἀμφιάραος et Παρθενοπαῖος anapaestum composuit; anapaestus mediis vocis appellativae syllabis expressus nullus exstat apud tragicos.

δ. Anapaestus continetur postremis vocabuli syllabis: I, 2, 10, 9: πρόνοια καί σοι βουλομένη. 61: ἄνωθεν ἡμῖν ἐρχομένη. 204: ὕλης ἀπείρου, συνθέσεώς.[1]) 229: αὐτόν, μεθείς τε μηλόβοτον τήν. 435: πανήγυρίς τε πρωτοτόκων. 492: ὁ τῶν μεγίστων οἰκονόμος μυστηρίων. 643: ἃ πᾶς ὁ κόσμος καλλιερεῖ. 773: ἡμῖν μάλιστα σωφροσύνης. I, 2, 25, 109: ὡς δή τις ἄλως· παιομένη τε δακτύλοις.[2]) I, 2, 34, 233: ἀποστολὴν δέ, συμμαχίαν. 264: ἡ μέν, τὸ συμβὰν αὐτομάτως. II, 1, 11, 248: τῆς τηνικαῦτα συγχύσεως.[3]) 272: ὡς οἱ παρέντες μηλοβότους. 560: ἐχθροῖς ὄνειδος, μαρτυρίαν. 1036: φθέξομ'·[4]) ἐγώ τι πιστότερον τῆς. 1256: τί δεῖ σε νάρκης ἁψάμενον νεκροῦν. 1769: τὶ γνήσιον. φεῦ! Γρηγόριον τόν. 1798: ἦλθον γάρ, ἦλθον ἐξαπίνης. 1802: φυσῶντες ἡμῖν ἑσπέριον τε. II, 1, 37, 12: σιγὴ βαθεῖα· Γρηγόριος πορρωτάτω. II, 2, 8, 35: βίβλοις ποιητῶν, ἱστορικῶν.

Sic Sophocles in quarto pede bis Ἀντιγόνη, bis Τειρεσίαν, semel Οἰχαλίαν semelque Ἀμφιάρεως usurpavit. Euripides complures anapaestos fine vocabuli effectos praebet. Praeterea in Cycl. fabulae v. 566 legitur: λάβ', ὦ ξέν', αὐτὸς οἰνοχόος τε. Cui exemplo simile est Python. frgm. I, 14: καὶ μὴν ἀκούω μυριάδας τὸν Ἅρπαλον.

---

[1]) Vide p. 54 annot. 1.

[2]) Coisl. habet ἄλλος; ἄλως, quod Mignius recepit, melius videtur esse. Quod si probas, anapaestum alterius quoque pedis loco quarti tueri potes. Vide tamen p. 54, annot. 2.

[3]) Vide p. 54 annot. 1.

[4]) Sic Coisl., editio Benedictinorum: φθέγξωμ', quod hoc loco non aptum videtur. Ego quidem φθέγξομ' scripserim, in quo propter metrum non offendendum est. Vide p. 23, annot. 1.

Quascunque anapaestorum conformationes jam explicavimus, reperiuntur apud Aristophanem. Perspicimus autem Gregorium, distribuentem has anapaesti formas in quartum pedem, eandem rationem secutum esse atque Arisophanem: [1]) Ab utroque enim anapaestorum, qui ex unius vocis syllabis constant, plerique integra voce expressi sunt: numero proximi sunt, qui posterioribus vocabuli syllabis continentur: tertium locum tenent, qui prioribus, quartum, qui mediis vocabuli syllabis effecti sunt.

2. Anapaestus constat ex duobus vocabulis.

Quas leges a comicis, efficientibus anapaestos alterius pedis duobus vel tribus vocabulis, servatas esse cognovimus, eas valere quoque in quartae sedis talibus anaepaestis componendis monendum est. Quae cum ita sint, te revocare velim ad ea, quae accuratius in paragrapho decima tertia explicata sunt. Quaeramus jam, quatenus Gregorii versuum quarti pedis anapaesti isto modo comparati comicorum regulis obtemperent.

α. Anapaestus formatur monosyllabo et bisyllabo:

I, 2, 10, 269: πρῶτον μὲν οὐ καλῶς τὸ καλὸν μετήεσαν.
831: καὶ γὰρ θεῶν τιν', οὗ τὸ πάθος, προΐσταται.
II, 1, 39, 46: μή τις βλάβη σοι πρὸς τὸ καλὸν συλωμένῳ.
II, 1, 11, 1751: ἀλλ' οὖν συνῆλθον, οἷς τι μετῆν παῤῥησίας.
I, 1, 6, 90: τραχηλιῶντα, τὸν δὲ κάτω νενευκότα.
II, 1, 41, 28: τούτοις ἀρέσκειν, τοὺς δὲ σοφοὺς χαίρειν ἐᾶν.

Qui versus nil offensionis habent, cum in prioribus monosyllabum sit articulus, in posterioribus in caesura semiquinaria interpunctio inveniatur.

β. Continetur anapaestus monosyllabo et initio vocabuli, quod sequitur:

I, 2, 10, 232: ἀνεῖπεν αὐτόν, ὡς ἐν Ὀλυμπίᾳ μέσῃ.
556: καλούμενοι θεῷ πρὸς ἄλειαν κρείττονα.
II, 1, 12, 89: ἤ τις μέλαινα ῥὰξ ἐν ἀώρῳ βότρυϊ.

Ne hi quidem anapaesti vituperatione digni sunt, cum praepositio cum proxima voce arctissime conjuncta sit.

---

[1]) Vide Rumpelium in Phil. 28 p. 611.

γ. Exprimitur anapaestus fine vocabuli proximique prioribus syllabis:

II, 1, 11, 368: ὀργήν τιν' ἔπραττ' οὑμὸς ἀδελφὸς κοσμικήν.
520: τί γίγνεται; ποῖ τἀμὰ καταστρέφει πάθη;

II, 1, 41, 34: τούτου τι ῥᾷον ἄρτι γελᾶν καὶ πλουσίως.

Hi versus, quippe qui neque interpunctionem neque graviorem sententiae pausam ante tertiam arsim habeant, normam comicorum non sequuntur.

δ. Constat anapaestus ex bisyllabo et monosyllabo:

I, 2, 10, 930: τί γὰρ φρονήσεως δίχα τῶν αἰνουμένων;
934: θεὸς νοεῖται μέν τισιν, εἰ καὶ μετρίως.

I, 2, 27, 27: ἐγὼ γελῶ σου τὴν νόσον, εἰ κάκιστος ὤν.

Anapaestum, qualis est in primo versu, comici improbaverunt, quod pausa satis distincta desideratur ante tertiam arsim, anapaestos, quales sunt in altero et tertio versu, non solum ob hanc causam, sed etiam propter interpunctionem post thesim factam, de qua supra diximus. (Vide § 14, 2 δ.)

ε. Efficitur anapaestus bisyllabo proximique vocabuli initio:

II, 1, 11, 1277: τί χρὴ λέγειν μοι, καὶ τίνι μοίρᾳ προςνέμειν.

II, 1, 12, 236: γλώσσης τε πάσης, καὶ φρενὸς εὐμαθεστέρας.

Hi anapaesti excusationem habent, quod interpunctio in penthemimeri occurrit, quamquam, quod jam supra monuimus (§ 13, 2 δ), „bisyllabae omnes praeter praepositiones, nisi excipiunt aliquam interpunctionem, in medio versu anapaestum ordiri non solent“:

I, 2, 25, 298: πολλοῖς δ' ἐπειπὼν καί τινα τοιοῦτον λόγον.

Hic quoque anapaestus eodem fortasse jure, quo duo, qui antecesserunt, defenditur, cum post ἐπειπών sine dubio vox intermittatur. Ab omni autem excusatione vacat:

II, 1, 11, 1437: ἐφ' οἷς συνῄδεσάν σφισιν ἠδικηκότες.

ϛ. Anapaestus formatur posterioribus vocabuli syllabis et monosyllabo:

II, 1, 12, 451: σαφῶς τόδ' ἴσθι, πένθιμος ἡ σωτηρία.

Quod exemplum cum comicorum usu convenire constat. Non autem comicorum legibus parent versus proximi:

I, 2, 10, 38: ἄγγῃς δὲ τοῖς σοῖς νεύμασι τὰς ἐκκλησίας.
328: ἴαμβον εἰπὼν καίριον ἐξ Εὐριπίδου.
379: πῶς γὰρ καλεῖς δυςδαίμονα τὸν πένητα μέν.
863: καὶ Φειδία τὰ παιδικὰ [1]) ἐν τῷ δακτύλῳ.
II, 1, 11, 844: ἔπειτα μικρὸν ὕστερον οἱ πεπομφότες.
1153: οἱ θεῖον οὐδὲν εἰδότες ἢ φορὰν μόνην.
II, 1, 11, 1162: οἵ τ' ἀγγέλους καὶ πνεύματα καὶ ἀνάστασιν.
II, 1, 12, 447: βρύεις τὸν αὐτὸν βόρβορον ἐκ ῥᾳθυμίας.

Plus etiam offensionis haberent comicis anapaesti, qui sequuntur, quippe in quibus post thesim interpunctio fiat:

I, 2, 4, 1: ἅγνευε πᾶσι, Παρθένε, καὶ τοῖς ὄμμασι.
II, 1, 12, 259: ὅσοι λαλοῦσιν ἔνδικα, τῶν δὲ καὶ βάρει.
423: ὡς ἥμερός μοι σήμερον! οὐδ' ἐσθῆτά τις.
I, 2, 8, 167: ἢ πνεῖν τὸν αὐτὸν ἀέρα,[2]) ἢ κλῆσιν μίαν καλεῖσθ'.

Non prorsus improbatur in comoedia talis anapaestus:

I, 1, 10, 62: τί οὖν πέπονθεν ἀμφότερ'; ὡς ἐμὸς λόγος.

„In secundo enim et quarto pede usque eo licentia elisionis progressa est, ut etiam fortiorem interpunctionem in medio anapaesto pateretur.“ [3])

ζ. Anapaestus compositus est ex posterioribus vocabuli syllabis et initio proximi:

II, 1, 12, 191: οὕτω γινώσκειν, γνώμονος ἀψευδεστάτου.

qui versus legi comicorum obtemperat.

I, 2, 25, 336: σπεύδωμεν. ἐκδιωκόμεθ'; οὔτι καὶ θεοῦ;

Elisio anapaestum tuetur. (Vide supra δ.)

Abhorrent autem comici ab horum versuum anapaestis:

I, 2, 10, 299: Κροίσου γὰρ αὐτὸν πλείοσι δεξιουμένου.
II, 1, 11, 1182: οἵ τ' εἰσάγοντες ἥλικα Καίσαρος θεόν.
1257: ἢ πλησιάζειν ἄσθματι λυσσῶντος κυνός;
1332: διώροφα, τριώροφα νευόντων κάτω.

Minuere etiam videtur elegantiam interpunctio post thesim posita:

I, 2, 8, 193: κρίσις, δικαστὴς ἄρροπος, ἔντρομος στάσις.

---

[1]) Fortasse per elisionem scribendum est: παιδίκ' ἐν.

[2]) Nisi melius elisione adhibita legimus: ἀέρ' ἤ.

[3]) Vide Bernhardium l. l. p. 279.

Anapaesti quarti pedis duobus vocabulis effecti neque in Cyclopis fabula neque in tragicorum minorum fabulis satyricis, quae quidem nobis servatae sint, reperiuntur.

3. Anapaestus exprimitur tribus vocabulis:

α. Constat semel ex duobus monosyllabis et initio proximi vocabuli:

I, 2, 10, 676: τί ταῦτα; τοῦ Λεὼ δὲ σὺ θαυμάζεις κόρας.

Cum δέ suapte natura ad vocem, quae antecedit, spectet, desideretur autem pausa in caesura semiquinaria, anapaestus a comicorum lege discrepat.

β. Exprimitur semel fine vocabuli et duobus monosyllabis:

II, 1, 12, 640: ἴσως μαθητής, οὗτος ὁ νῦν διδάσκαλος.

Talem anapaestum comici haud raro admiserunt.

γ. Continetur fine vocabuli et articulo et proximi vocabuli initio:

I, 2, 10, 350: οὐκ ἂν παρέλθοιμ' οὐδὲ τὰ Ῥωμαίων.

Cum pausa gravior in penthemimeri desit, ejusmodi anapaestum usurpare comicos verituros fuisse dicendum est.

Addo in Cyclopis fabula bis inveniri in quarta sede formula: μὰ Δί', ἀλλ', semel μὰ Δί' οὐ.

Exstant igitur in 7550 Gregorii trimetris iambicis centum et viginti sex anapaesti quarti pedis: octoginta tres uno vocabulo effecti sunt: omnes cum comicorum usu conveniunt; quadraginta ex duobus, tres ex tribus vocabulis constant; quorum plerique, viginti sex legibus, quibus comici usi sunt, non oboediunt.

---

§ 16.

De anapaestis quinti pedis.

1. Anapaestus uno vocabulo efficitur:

α. Constat ex integro:

I, 2, 10, 215: ὡς ἂν μάθῃς κἀνθένδε τὴν ἀρετήν, ὅσα.

I, 2, 25, 231: οὐκ ἂν παρέλθοιμ' οὐδὲ τὸ Στεφάνου καλόν.

Cujus anapaesti conformatio bis nobis occurrit apud Euripidem: Cycl. v. 242: φάκελον (ξύλων), v. 646: ἀγαθὴν πάνυ.

β. Continetur prioribus vocabuli syllabis:

I, 1, 6, 42: οὐ ταῦτα εἰσιόντι σοι καθυπεσχόμην,
I, 1, 12, 17: ἔπειτα Δαυΐδ· εἶτα τρεῖς Σολομωντίαι.
I, 2, 10, 692: καὶ Σωκράτους τὸ κώνειον, φιλοτησίαν.
942: θεὸν τὸ μὴ σέβειν μὲν ἐστ' ὀλοώτατον.
I, 2, 28, 32: εἴθ' ἡ συνεργὸς τῆς χερὸς συκοφαντία.[1])
I, 2, 34, 104: ἡ δ' οὐκ ἀληθὴς γίνεται, συκοφαντία.[1])
II, 1, 11, 1846: ἂν μέχρις ἡμῶν στῆτε, τοῦτ' ἐπιτιμίαν.

Ita comparati sunt quattuor anapaesti a tragicis in quinta sede adhibiti: Cycl. v. 273: Ῥαδαμάνθυος: v. 582: ἔχων ἀναπαύσομαι. v. 637: ἀρτίως γεγενήμεθα: et in Pythonis frgm. satyrico I, v. 6: παγκάκως διακείμενον.

γ. Anapaestus efficitur posterioribus vocabuli syllabis:

II, 1, 12, 818: ἄλλον τιν' εἰ λάβοιτε Γρηγόριον, φίλοι.
II, 1, 47, 9: οὐκ οἶδας, ὡς εἴληχας ἡνιοχεῖν μόνη.

Quod nobis semel apud Aeschylum in nomine proprio Ἀμφιάρεω (Sept. v. 569) occurrit, apud Sophoclem in Ἀντιγόνη, Τειρεσίαν, Οἰχαλίαν, Εὐρυδίκην, apud Euripidem saepius in nominibus propriis semelque in voce appellativa: Cycl. 274: καὶ δικαιότερον λέγω.

Quae anapaesti formae obviam fiunt nobis omnes in Aristophanis senariis; apud utrumque autem, et Aristophanem et Gregorium, illa conformatio saepissime occurrit, ut anapaestus prioribus vocabuli syllabis exprimatur.[2]) Anapaestos mediis vocabuli syllabis effectos omnino non praebet Gregorius in quinto pede, haud multos Aristophanes.

2. Anapaestus duobus vocabulis efficitur.

Comicos, duobus vel tribus vocabulis anapaestos quinti pedis formantes, easdem leges secutos esse, quibus in tertii pedis anapaestis efficiendis obtemperasse eos cognovimus, jam supra (§ 14, 2) indicatum est. Jam videamus, quatenus has regulas Theologus secutus sit.

α. Anapaestus quinti pedis semel constat ex monosyllabo

---

[1]) Vide p. 29 annot. 1.
[2]) Vide Rumpelium in Phil. 28 p. 611.

et bisyllabo, qui anapaestus ne comicis quidem quidquam offensionis habet, cum monosyllabum sit articulus:

I, 2, 8, 215: οὐ γὰρ φέρει κρατούμενον τὸ κρατοῦν ἀεί.

β. Anapaestus quinti pedis semel continetur finali vocis syllaba proximaeque vocis prioribus syllabis:

II, 1, 12, 306: ῥίψον τὸ κάλλος, ὧν τὰ δόγματ' ἀποστρέφῃ.

Cum etiam comici talem anapaestum in quinto pede rejecerint (vide § 14, 2 β), dubito, an non recte traditus sit Achaei frgm. 14 v. 1: ἀλλ' ὡς τάχιστα μέλανα δεῦρο μόνον φέρειν.[1])

γ. Bis anapaestus efficitur bisyllabo et initio proximi vocabuli:

II, 1, 12, 678: ζητῶ τὰ πάντα, κ' εἶναι τὸν μέγαν Ἀαρών.[2])
684: ἀποστερεῖς με καὶ σὺ τὴν μίαν ἀμνάδα.

Ex eis, quae supra (§ 14) diximus, apparet tales anapaestos in tertio et quinto pede vitatos esse a comicis non minus quam qui sequuntur:

δ. Formatur anapaestus voce monosyllaba et posterioribus syllabis vocis, quae antecedit:

I, 2, 10, 218: τίς οὐκ ἀκούει τὸν Σινωπέα τὸν κύνα;
346: δίκαιος ὢν τε καὶ καλούμενος εἰς ἔτι.
II, 1, 12, 224: πείθει με τιμᾶν καὶ τὸ δίκτυον ὁ τρόπος.[3])

Notanda porro est interpunctio post thesim posita:

I, 2, 33, 127: σὺ δ' ἀγκαλίζου· καὶ γὰρ ἀετός, ὡς λόγος.
II, 1, 11, 1185: οἱ μὴ τέλειον τὸν σεσωσμένον, ἀλλ' ἄνουν.

ε. Semel continetur anapaestus posterioribus vocabuli syllabis et initio proximi:

I, 2, 10, 256: λαβὼν δ' ἐν ὄψει τοῦ δεδωκότος αὐτίκα.

Hujus modi anapaestus invenitur Ionis frgm. 18 v. 2: Βοιωτίας ἀκτῆς ἐχώρισεν ἐκτέμνων. Qui versus propterea aliquid excusationis habet, quod ex fabula satyrica petitus esse videtur.[4])

---

[1]) Vide C. Fr. Muellerum: de ped. sol. in trag. min. trim. iamb. p. 18.

[2]) I, 1, 25, 188: „Μωσῆς ἐκεῖνος, Ἀαρών, οἱ φίλτατοι" docet nos Gregorium prius A nominis Ἀαρών longum quoque habere, etiamsi plerumque apud eum breve esse concedo. Vide II, § 5, 1.

[3]) Vide II, § 5, 1.

[4]) Vide Muellerum l. l.

Suppeditat Gregorius viginti unum anapaestos quinti pedis; horum undecim, qui uno vocabulo continentur, legibus a comicis servatis non repugnant; contra duobus vocabulis effecti, decem, praeter unum omnes comicis offensioni fuissent. Anapaestus ex tribus vocabulis compositus in quinto pede nullus exstat.

§ 17.

Enumeratis atque explicatis anapaestis, qui in Gregorii senariis inveniuntur, jam paucis complectamur de Theologi anapaestorum usu, quae gravioris momenti mihi videantur.

1. Atque exstant omnino in Gregorii 7550 iambicis trimetris 272 anapaesti; qui ita in singulos pedes distributi sunt, ut reperias 126 in quarto pede, 80 in secundo, 24 in tertio, 21 in primo totidemque in quinto: Aristophanes plerosque anapaestos praebet in pede secundo (1183); sequitur primus pes (1143); cui proximus est quartus (847); quartum locum tenet quintus pes (338); ultimum tertius (268).[1] In 28 Gregorii, in $2^1/_2$ Aristophanis senariis occurris singulis anapaestis.

Omnium autem anapaestorum, quibus usus est Theologus, 181 constant ex uno vocabulo, 82 ex duobus, 9 ex tribus vocabulis.

2. Quaecunque formae anapaesti una voce expressi obviam nobis fiunt apud Gregorium, non desunt apud Aristophanem. 77 autem anapaestos Theologus integra voce effecit, 51 prioribus, 8 mediis, 45 posterioribus vocis syllabis.

3. Gregorium anapaestos duobus vel tribus vocabulis efficientem licentiae modum, quo comici usi sunt, persaepe excessisse jam supra singulis locis accuratius expositum est: complexus omnia ejusmodi exempla invenio 49 anapaestos ex duobus, 7 ex tribus vocabulis compositos non oboedire legibus comoediae, contra oboedire 29 duobus, unum tribus vocabulis effectos.[2]

[1]) Rumpelium Phil. 28 p. 611 secutus sum.

[2]) Anapaestos primi pedis non respicio.

4. Vocalis elisio post anapaesti priorem syllabam brevem facta ter invenitur, semel in altera, semel in tertia, semel in quinta senarii sede.

Interpunctio post priorem syllabam brevem posita uno loco, in tertio pede, nobis occurrit, post alteram syllabam brevem quattuordecim locis: semel in altero, quater in tertio, septies in quarto, bis in quinto pede.

Et vocalis elisio et interpunctio post thesim anapaesti factae bis obviam nobis fiunt in quarto pede.

Jam hac tota dissertationis parte ad finem perducta usui mihi fore videtur tabula illustrare, quot omnino tribrachi, dactyli, anapaesti in Gregorii trimetris iambicis inveniantur et quomodo compositi sint, ut uno tanquam conspectu cognoscas solutiones et anapaestos a Theologo in singulis senarii pedibus adhibitos. Non invenies in tabula illum sexti pedis tribrachum Τριάδος, de quo supra (§ 5, 2) diximus.

Prior autem numerus uncis inclusus indicabit solutiones et anapaestos uno vocabulo effectos, alter eos, qui duobus, tertius, qui tribus vocabulis continentur:

	1.	2.	3.	4.	5.	Summa.
Tribrachi:	10 (6+ 2+ 2)	30 (17+11+2)	21 (2+15+ 4)	33 (21+12+0)	1 (1+ 0+0)	95 (47+ 40+ 8)
Dactyli:	40 (13+19+ 8)	2 (2+ 0+0)	34 (2+26+ 6)	2 (0+ 2+0)	5 (0+ 5+0)	83 (17+ 52+14)
Anapaesti:	21 (16+ 4+ 1)	80 (62+17+1)	24 (9+11+ 4)	126 (83+40+3)	21 (11+10+0)	272 (181+ 82+ 9)
Summa:	71 (35+25+11)	112 (81+28+3)	79 (13+52+14)	161 (104+54+3)	27 (12+15+0)	**450 (245+174+31)**

Caput IV.

§ 18.

De binis solutionibus a Gregorio in singulis trimetris iambicis admissis.

Quoniam singulos tribrachos, dactylos, anapaestos in singulis senariis a Theologo adhibitos enumeravi eorumque conformationes accuratius explicavi, jam restat, ut dicam de iis versibus, in quibus bini pedes soluti inveniuntur. Perpauci autem tales versus in Gregorii carminibus exstant.

I. Eadem solutio bis in uno senario reperitur:

1. Bini tribrachi vel dactyli in singulis Gregorii senariis omnino non leguntur; contra sex Aeschyli versus, quattuor Sophoclis binos tribrachos, unus Sophoclis trimeter (El. 433) binos dactylos praebet; [1]) utriusque generis exempla multa in Euripidis fabulis exstant. [2])

2. In quattuor Theologi trimetris iambicis bini anapaesti positi sunt:

α. Duobus locis anapaestus in primo et altero pede nobis obviam fit:

I, 2, 34, 90: ἀνελευθερίαν δέ φημι τὴν φειδωλίαν.
II, 2, 8, 306: δύο Τιμοθέῳ, Τίτῳ δὲ καὶ Φιλήμονι.

Cujusmodi versus tres apud Euripidem leguntur, unus apud Sophoclem (Trach. 879) [3]), nullus apud Aeschylum.

β. Duobus locis anapaestus in altero et tertio pede nobis obviam fit:

I, 2, 10, 302: ἔχειν ἐκέλευσεν ὅσον δύναιτο ψηγμάτων.
II, 2, 8, 269: βίβλους, Παραλειπομένων δέ γε ξυνωρίδα.

Ita semel Euripides (Iph. A. 1589), nunquam Aeschylus et Sophocles.

---

[1]) Vide Rumpelium in Phil. 25 p. 62 sq.

[2]) Vide Rumpelium in Phil. 24 p. 417 sq.

[3]) Hujus tamen tribrachi lectio haud certa est. Vide Rumpelium in Phil. 25 p. 63, 3.

II. Varii generis solutiones in uno versu reperiuntur:

1. Semel tribrachum et dactylum in eodem versu conjunctum invenimus: dactylum in tertia, tribrachum in quarta sede:

I, 1, 6, 74: τῆς εὐσεβείας περιγραφομένης τοῖς τότε.

Quod factum est apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem (duodetriginta locis).

2. Duo versus tribrachum et anapaestum conjunctum praebent:

α. Anapaestus primum, tribrachus tertium pedem tenet:

II, 1, 11, 225: Βασίλειος ἦν, τὸ μέγ' ὄφελος τοῦ νῦν βίου.

Cujusmodi unum exemplum fortasse in Aeschyli Septem 268 agnoscendum est, pauca habet Sophocles, multa Euripides.

β. Anapaestus alterum, tribrachus quartum pedem tenet:

II, 2, 8, 303: τὴν πρὸς Γαλάτας, καὶ τὴν πρὸς Ἐφεσίους, μεθ' ἥν.

Ita τε omisso scripserim, cum servari non possint verba a Mignio tradita: Γαλάτας τε καὶ τὴν πρὸς Ἐφεσίους.

Tales versus Aeschylus et Sophocles omnino non praebent, raro Euripides.

3. Tres versus dactylum et anapaestum conjunctum praebent:

α. Dactylus primam, anapaestus quartam sedem tenet:

II, 2, 8, 49: ὥσθ' ὅσα μὲν αὐτοῖς εἰς ἀρετὴν ἐγκώμια.

Cujusmodi exempla prorsus desunt apud Aeschylum et Sophoclem, exstant pauca apud Euripidem.

β. Bis anapaestus alterum, dactylus tertium pedem tenet:

II, 1, 12, 744: ὧν Καλλίμαχος, καὶ Κάλαϊς ἤστην, ὡς δοκῶ.

II, 2, 8, 37: λεπταῖς τε μερίμναις φιλοσόφων ἀσκούμενος.

Tales versus non apud tragicos, ut apud Aristophanem, invenimus.

Binas igitur solutiones decem tantum Theologi versus habent eorumque quinque in eodem carmine ad Seleucum inscripto inveniri notandum est. Quales binarum solutionum conjunctiones in singulis Gregorii senariis exstant, tales exceptis duobus exemplis Euripides quoque admittit; cum

Aeschylo bis, ter cum Sophocle congruit Theologus binas solutiones in singulis versibus exhibens. Contra Aeschylum et Sophoclem nonnullas, permultas Euripidem duarum solutionum conjunctiones a Gregorio repudiatas admisisse moneo.

Ternae solutiones in singulis Gregorii trimetris iambicis non reperiuntur, nam corruptum esse versum, qui sequitur, nemo non videt:

I, 2, 10, 360: ἕνα τῶν ἐλεφάντων ὑπερφυᾶ τε καὶ μέγαν.

Coisl. habet: εἶδε τὸν ἐλέφανθ᾽ ὑπερφυῆ τε καὶ μέγαν.

Utramque lectionem falsam esse constat: medelam tamen, in qua acquiescamus, neque alii neque ego versui adhibere potui.

Haec habebam quae dicerem de pedibus solutis, qui in Gregorii Nazianzeni senariis exstant.

Vita.

Natus sum Paulus Stoppel Amalienhofensis a. d. VIII Kal. Nov. anni h. s. LVI patre Augusto, matre Augusta e gente Piperiana, quos adhuc vivos colo atque diligo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis domestica institutione imbutus puer XII annorum receptus sum in gymnasium Warense tunc ipsum constitutum et apertum rectore Eugenio Briegleb, cuius semper ea qua par est pietate et gratitudine memoriam retinebo. Octo annis postquam gymnasium adii maturitatis testimonio comparato, ut studiis philologicis me dederem, deinceps petivi Academias Lipsiensem, Rostochiensem, Berolinensem, denique iterum Rostochiensem, Lipsiae et Berolini per singulos, Rostochii per duos annos versatus. Ac Lipsiae usus sum praeceptoribus illustrissimis G. Curtio, O. Ribbeckio, Langio, Braunio; exercitationibus societatis philologicae, quas Ribbeckius instituit, per sex menses, proseminarii, quas Lipsius moderabatur, per anni spatium interfui. Berolini prodocentes audivi vv. dd. Kirchhoffium, Huebnerum, Wattenbachium, Robertum, Zellerum, Muellenhoffium; Huebneri societati philologicae per sex menses adscriptus fui. Rostochii denique docuerunt me vv. ill. Fritzschius, Foersterus, Reinholdus Bechstein, Henricus de Stein. Sodalis fui per duos annos

seminarii philologici Rostochiensis, cui una cum Fritzschio praeerat Foersterus, professor nunc Kiliensis, per unum annum seminarii philologici germanici, quod regit Bechsteinius. Foersteri benignitate mihi contigit, ut exercitationibus philologicis per semestre, per annum archaeologicis interessem.

Quibus viris omnibus meritas debitasque gratias ex animo ago, maximas autem Foerstero, qui studiis incumbenti neque consilio neque opera unquam mihi defuit.